This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Arch. 78 t



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

rch.
/8t

Digitized by Google

In morte del Drusiano.

Darsa, che col pennello, e coi colori
Alle tele di spirto, e d' alma voce
Spesso donasti vita, e quel, che puote
Arte, mostrasti in tuoi vaghi lavori;
Or lassù fra celesti almi splendori
Non scorgi le triste ombre, ch' a noi scuote
Profonda notte intorno, o eh' alto ruote
Febo il suo carro, o che 'l raccolga Dori.
Vedi il bel, che natura intenta mira,
Mentre la sua sembianza mostrar vuole,
E la grand' opra a noi pinge, e colora.
Ed or te stesso (tal desio ti spira)
In lui trasformi, acceso dentro, e fuora,
Qual viva gemma, dell' eterno Sole.

In morte del Sig. Marino Darsa.

Darsa novello cittadin del Cielo,
Ove 'l tuo vago cor fu sempre volto,
Ben a ragion dal mondo or ti sei tolto,
Per fuggire il vicin nemico gelo.
A te mal converrebbe il bianco pelo,
Che delle Grazie in sen quà fosti accolto,
Nè gli anni rei bramar dovevi molto,
Cui 'n vita spiacque un sol candido velo.
Quel, che talor t' ascose i duo bei lumi,
Che risonando in dolci versi, e gai
Festi più volte già fermar i fiumi.
Or gli Angeli lassù più lieti fai
Cantando il maggior Sole, onde t' allumi,
Nè temer puoi, che ti sia tolto mai.

O che nobil vittoria, a cui credea
Morte superba tor l' altere spoglie
Della bellezza, alle beate soglie
Passò, fatta del ciel novella Dea!
Ivi a' begli occhi, onde quaggiù solea
Accendere in altrui l' oneste voglie,
Raddoppia 'l lume, e cara voce scioglie
Ai suoi, che preme acerba pena, e rea,
A che per me falsa pietà v' ingombra?
Io con l' eterno Re quassù mi godo,
A cui sì piacqui, che per se mi volse.
Ogni ben vostro vidi un sogno, un' ombra;
E di vedermi scior dal vago nodo
Sì innanzi tempo sol per voi mi dolse.

Tu, che subitamente a noi sparita
Con triste voci in van chiamata sei,
Se ti cal punto dei sospiri miei,
Dimmi, Donna gentil, dove sei gita?
Forse tra' sacri boschi alma, e gradita
Accolta con le Muse, a' pensier rei
Ne lasci ciechi in preda? o segui lei,
Che ad onestà le Ninfe a cacce invita?
Ahi! che a noi ti furò spietata Morte
Nella più verde età, qual vago fiore,
Cui 'l ferro lascia in terra adunco, e forte.
Nè da lei ti fu schermo il puro core,
O le tue rime sì leggiadre, e scorte,
Che al mondo ti daranno eterno onore.

MARMORA
MACARENSIA

EDITIO SECUNDA

AUCTA, ET ILLUSTRATA.

RHACUSÆ
MDCCCX.

TYPIS MARTECCHINIANIS
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

„ Circa poscia ad altri monumenti, che vagliano ad il-
„ lustrare l'Ecclesiastica Istoria, dee farsi conto di qua-
„ lunque Iscrizione, o Lapida, anche mutila. "

Benedictus XIV. Epistola data ad Pacificum Bizza Spalatensem Archiepiscopum.

Digitized by Google

CLARISSIMO ORNATISSIMOQUE VIRO

DOMINICO GARAGNIN

HONORATÆ LEGIONIS EQUITI PROVINCIARUM RHACUSÆ,

ET CATARI ADMINISTRATORI GENERALI.

JOANNES-JOSEPH PAULOVICHIUS LUCICHIUS

DALMATA MACARENSIS F.

Ad Te mihi sermo, Vir Clarissime, ad quem Macarensis profectio mea paulo ante fuit instituta. Factiosa tempestatis procella jactatus, sinum amantissimum tuum, non secus ac tutissimum portum malorum meorum inveni. Rhacusa Macarscam reverso, statim animum subit

 cogi-

Digitized by Google

cogitatio Marmora Macarensia mea, uberius, dum Rhacusæ morabar, illustrata, recudere, recusaque Tuo Nomini sacrare. Tibi sane debita sunt quæ Te Auctore pariter et Adjutore ex pauperrimo penu meo nunc primum sic prodeunt in publicum. Nonne ipse mihi animos in rem addidisti? Nonne tuis me facultatibus sublevasti? Nonne me doctissimorum Virorum frequentia et domicilio apud Patres Scholarum Piarum interim donasti? Illos, inquam, Patres, qui Ecclesiasticæ et Christianæ Reipublicæ satis fulgidum ornamentum, sapientia morumque sanctimonia clari toti sunt in literis et pietate omnigena juventute informanda. Hæc ego de illis Tibi, qui eos auctoritate protegis, beneficentia cumulas, honore prosequeris; et juste quidem: nam totius Reipublicæ felicitas in ipsorum manibus merito censetur reposita, cum eis puerorum juvenumque educatio fuerit commissa. Quot enim impræsentiarum apud memoratos Patres discipuli, tot paucis ab hinc annis Cives optimi. Mehercule Tu omni laude major, qui Excellentissimo Mirmontio in-

spi-

Digitized by Google

spirasti, ut istius publicæ instructionis formam, quæ nunc pulcherrime viget, adoptaret, sanciretque perquam salubriter. Nec mirum: quippe qui nihil agis non moderatum, nihil non æquabile, nihil quod non cum ea, quam decore sustines, persona consentiat. Felix utraque Catarensis insimul et Rhacusana Provincia, quibus forte fortuna Administer ac Pater obtigisti! Felix Dalmatia, quæ Te supremo duarum decedentium Rerumpublicarum clavo admotum suspexit! Felix egomet ipse, si meis hisce conatibus laboribusque tua benevolentia quasi propitium numen adfuerit!

Dabam Macarschæ die 7. Decembris 1809.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD LECTOREM

AUCTORIS PROLUSIO.

Qualis quantaque fuerit pristina Civitatis Macarensis dignitas et magnitudo, multa apud Geographos tum veteres, tum recentiores solicitus venerandæ antiquitatis perscrutator congesta reperiet, non tamen omnia, cum Macarensium potissimum rerum antiquitatumque ea fuerit vicissitudo, et calamitas, ut plurima bellicis cladibus vastationibusque penitus eversa, cætera autem vel ab alienigenis ablata, vel ab indigenis oscitanter neglecta, amissa lugeamus. Unum quod superest, animadvertamus oportet, quod si conjicienda est loci cujuspiam amplitudo et celebritas ex cœli salubritate et clementia, ex situs jucunditate, ex montano in medium civitatis derivato fonte, ex portu sane optimo, atque ex opportunitate terrestris maritimique commercii frequentandi; in omnibus hisce præcipuis civitatum naturæ ornamentis Macarsca nostra ferme præ cæteris Dalmaticis urbibus

Digitized by Google

excelluit : quippe quæ mari adjacens magna ex parte Bosnensi Regno, atque Hertczegovinæ Ducatui S. Sabbæ pene universo unica, ut ita dicam, pandit sinum. Verum cum instituti nostri ratio ferat, ut pauca posteritati servanda tantummodo amandemus, quæ e medio surripere vel alienigenarum sagacitas, vel nostratum posset ignavia; longius persequi singula nostræ urbis vetustissimæ ornamenta consulto præterimus, expiscantibus plura soli Macarensis viscera perscrutanda relinquentes, in quibus mehercule et numismata Romanorum, et sarcophagorum, inscriptionumque antiquarum non pauca monumenta detegerent conspicerentque locum undequaque ruderibus, stratisque mosaici velut eximii operis circumseptum. Quod si nos paucas Macarschæ repertas, cæterasque in Macarensi potissimum Diœcesi nostris studiis, itineribus, expensisque conquisitas collectasque Inscriptiones, Marmorum Macarensium titulo exornare putavimus; id et ad nostrorum præstantiam monumentorum, et ad patriæ Collectoris incrementum tribuatur. Nemo enim natali solo amplius prodesse posse convincitur, quam qui hoc aut bello adversus hostiles incursus

stre-

Digitized by Google

strênue defenderit, aut pace literarum artiumque optimarum studiis amplificare curaverit. Nos igitur, qui mansuetudine Ecclesiasticæ professionis pro patria (ut majorum nostrorum inclyta ferebat consuetudo) præliari prohibemur; literis autem ipsam illustrare nec ingenio quidem, nec viribus valemus; antiquitatis istiusmodi Romanæ subsidio, et imbecillitati, tenuitatique apta fulcimenta comparare, et patriæ Macarensi nostræ multiplici vetustarum inscriptionum copia, pristinum ex parte quærimus splendorem restituere.

Jam vero de multiplici siglaticæ artis utilitate breviter præfari pauca cogimur, ut ejus amorem nostratibus inspiremus. Rem paulo altius repetamus. Exiguum homini curriculum circumscripsit Natura, immensum gloria. Gloriæ percupidi, de memoriæ æternitate maxime semperque laborarunt. Et merito quidem; nulla enim res homine contemptior, qui de suâ non est perennitate solicitus. Hinc Romani ad sui nominis durationem olim insudare nunquam destiterunt. Ad istiusmodi gloriosum finem semper intenti, et loquaces lapides, et literata sciverunt reddere metalla. Idcirco et Fastos dignitatum Reipubli-

cæ

cæ præ se ferentes ephemeridem, infatigabili diligentia, durioribus consignaverunt marmoribus, et arcus bellorum, victoriarum, triumphorum memoranda testimonia, magnis sumptibus, ad sydera usque erexerunt; et Numismata ære, argento, auro conflata, non tantum hæc omnia ostendentia, sed deorum, provinciarum, ingentium operum publicarum, sacrificiorum, ludorum, munerum notitiam, cum orbe duraturam, præbentia, solerti industria ac arte cuderunt. Imo apud Romanos eosdem tantopere cuncta committendi marmoribus usus invaluit, ut nulla eorum religio, nulla dignitas, nullus honoris, vel militiæ gradus, nullus affectus, nullum opus, nullum sepulcrum absque lapidibus insculpta memoria: quæ, etiam si saxis nominibusque mors veniat, attamen non sic attrita atque exesa post tot sæcula inveniuntur, ut de eorum cognitione sit penitus desperandum. In istis, nobiliori eruditione refertis, universam Romanarum rerum notitiam deprehendet diligens earum antiquitatum cultor; nam in literatis silicibus quisque siglaticæ artis peritus inveniet et illorum in deos pietatem, ac cultum; et sacerdotalia munera; et dignitatum urbanarum, provin-

Digitized by Google

vincialium, ac militarium varietates; et legionum, alarum, cohortiumque nomina; et militum patrias, stipendia, dona, missiones; et denominandi modos; et libertorum, ac servorum officia, et operas; et Imperatorum gesta, ac liberalitates; et ludorum, spectaculorum, ac aurigantium diversitates; et Collegiorum, Municipiorum, Coloniarum, Provinciarumque erga Patronos ac Præsides pietatem; et innumeros Coloniarum, Municipiorum Magistratus; et parentum in filios, filiorum in parentes, Conjugatorum, Amicorum, Dominorum, Servorum promiscuos affectus; et sepulcrorum mensuras, leges, jura; et morientium voluntates; atque tandem ea omnia, quæ publicos ac privatos Romanorum mores aperire valent.

Atque his omnibus hic cursim commemoratis, eritne inter Dalmatas nostros vel unus, qui de cætero saltem in antiquitatis monumenta omnia, et præcipue in Lapidariam prægrandi amore non exardescat? Monumenta antiqua præcipuam philologici studii partem esse, omnes eruditi viri norunt. Plurimos summæ etiam dignitatis viros illorum amore ductos, nihil habuisse antiquius plane scimus, quam veteris ævi reliquias conquirere, conquisitas

Digitized by Google

tas lucubrationibus perquam doctis illustrare : nec nisi quibus mens tarda, et qui harum deliciarum ignari vivunt, præclaram hanc rerum antiquarum notitiam fastidire. Ex ipsamet perbrevi hac collectione nostra quantæ utilitates! Eas omnes Lector benevolus suis locis relatas in hac opella perspiciet. Utinam etiam manus adjutrices admoveat! Siglaticæ artis, abs tot sæculis deperditæ, integritati omnino restituendæ laudabili sane conatu adlaborabit. Inter cæteras siglis attributas qualitates Manilius 4. Astronomicon canit:

Hic et scriptor erit velox, cui litera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

Plutarcho teste in Vita Catonis Uticensis, Cicero siglaticæ artis auctor et parens extitit. Easdem literales Notas primus quod sciam, Varius Probus, Nerone imperante, Romæ Grammaticus in ordinem redegit libro *de Notis Romanorum*, posterorumque memoriæ consignavit. Certe in Oriente vigebat Constantinopoli octavo sæculo

ars

Digitized by Google

ars siglatica; eam enim tunc in aula Imperiali ibidem profitebatur Sanctus Plato, prout scribit Clarissimus Masini in ejus Vita, die 9. Aprilis. Verum, tempore cuncta terente, librum Notarum jam pene deletum renovavit Petrus Diaconus, Conrado primo Imperatore. His omnibus antiquitatis subsidiis nos impræsentiarum penitus destituti, si despexerimus siglaticam, si Romanorum lapidaria monumenta neglexerimus, ex quibus sigla ipsa solummodo expiscari licuerit, artem alioquin nobilissimam, atque omnigenæ utilitatis plenam profecto nunquam instauratam videbimus; quod quidem ætati nostræ probrosum omnino. Probra igitur a nobis ipsis depellamus: gloriæ, utilitatique insudemus, lapidariam excolentes.

Hæc vero scripseram, cum mihi quædam epistola innotuit Hieronymi Francisci Zanetti ad Com. Joannem Polcastrum edita Patavii anno 1764. in qua leguntur quatuor ex hisce nostris monumentis ante me ab ipso evulgata, et erudite illustrata; quintum præterea, quod mihi invisum, licet Macarense sit, et in pago Runovichio olim detectum, in frusta omnino diffractum periit. Itaque

Hie-

Digitized by Google

Hieronymi notationes cum meis conferre necessum habui; nec quidquam prætermittam, quod in ipso probari, vel rejici, meo autem instituto lumen et adjumentum afferre possit.

Tandem aliquando ad referenda atque expolienda Marmora Macarensia nostra festini transeamus.

MAR-

Digitized by Google

MARMORA VOTIVA.

I.

I. O. M. I. NVMERIVS VALENS.

Locus erat unius Jovis simulacro dedicatus, nisi forte verior sit Varronis sententia, qui delubrum dicit, ubi deus sit positus, ut candelabrum illud, in quo figitur candela, quod sane probat lapidis hujus figura. Nam ab architecto intelligenti perpensus lapis, epistylium Corinthii ordinis columnæ, cui insidebat, fuisse dictus est, Jovisque statuam superpositam tenuisse. Loco etiam ipsi, ex quo lapis defossus est, convenit explanatio: siquidem e regione portæ occidentalis urbis nostræ Macarensis repertus est secus publicam viam, quæ ducit ad civitatem, quaque transeuntes admonebat exhibendum cultum falso huic Numini Numerius Valens. Haud quidem dedeceret etiam sequens siglorum lectio: *Jovi Optimi Maximi Jussu*. Verum melius meo quidem judicio legitur: *Jovi Optimo Maximo*. I postremum intelligendum adhæreo *Invicto*, vel *Immortali*.

II.

Digitized by Google

II.

S . I . O . M
AETERNO . SACR
VM . CLA . MARCV
S. FAC . EXOPTION
. . . . . BENFICIA . P. . .
CIONI
. . . . . .

Ut Exoptionis beneficia Claudius Marcus amico forsan cuipiam suo exoraret, cujus prænominis nec una quidem integra initialis litera extat; nominis vero, quantum mihi ex detrito marmore expiscari licuit, superesse tantum existimo syllabas *Cioni;* inquit in marmore: *Sit Jovi Optimo Maximo Æterno Sacrum*. Animadvertat hic pius lector, immortalitatem in primo lapide, æternitatem in secundo Jovi, operæ manuum hominum, falsa Gentilium religione attributam, quam furens nostræ ætatis quorumdam impietas spiritualibus substantiis irrito conatu surripere tentat. Exoptio idem ac optio habita est in re militari. Apud antiquos Optiones, Exoptiones, Uragi, et Accensi idipsum tam nomine, quam re significabant, iique erant, quos Centuriones sibi adjutores opta-

Digitized by Google

optabant, seu adoptabant, ut sua privata obirent negotia, dum ipsi publicis curis essent districti, vel etiam universa curarent, si ipsi ægritudine præpediti essent. Hinc quod *Tenentes* in Italica hodierna militia, id muneris Exoptiones in Romana quondam obibant. Marmor cæteris ruderibus permixtum extat in Viddo, Naronæ loco hujus Diœcesis; cujus loci quanta olim fuerit dignitas, et amplitudo, ex subsequentium lapidum relatione, et expositione conjiciatur.

III.

Q. VIBIVS L. F.
DIANAE LI. SO. EM.
ARAM
D. S. F. C.

Marmor sic legendum puto: *Quinctius Vibius Lucii Filius Dianæ libens soli emeritæ*, vel melius, *libero solo empto Aram de suo faciundam curavit*. En Vibiæ gentis sæpius in Dalmatia potissimum repetita memoria: nam inter Marmora Salonitana, quæ digessit et illustravit literatorum virorum maximum decus Clariss. Franciscus Antonius Zacharia, quintum ordine positum habemus, quo Vibius pius deo Soli aram ab se dedicatam recen-

Digitized by Google

set. Marcum Vibium memorat Marmor relatum a Poleno Supplem. tom. 2. pag. 435., ubi sic:

DEO SERAPI
M. VIBIVS.
ONESIMVS.
EX. VISV

Vetustissimam quamque gentem aut a viro, aut a loco, tamquam a fonte aliquo manasse, et nomen accepisse, ab omnibus Romanæ Antiquitatis peritis edocemur. Quod ad Romanos attinet, duos populos seminarium gentium Romanarum fuisse reperimus; Aborigines, et Trojanos; qui ambo ab Ænea (ut Livius et Dionysius tradunt) communi nomine *Latini* sunt appellati. Ad hos populos alii etiam plurimi postea accessere, qui Romanam urbem gentibus repleverunt. Quoniam vero difficillimum omnino est omnium gentium originem invenire, paucarum tantum quarundam fontes et initia nobis supersunt. Ex hac lapidaria collectione nostra sane plures, de quibus nulla omnino extabat memoria, non secus ac redivivæ suis locis proferentur. Scire etiam operæ pretium erit, alias pariter a prænominibus, et cognominibus; alias a locis, urbibus, et populis; alias a quadrupedibus; alias demum ab re alia quapiam nomen suum mutuasse. Vibii quidem,

Digitized by Google

dem, vel a Vibo, unde C. Vibius Pansa, vel a Vibone oppido nomen fortasse acceperunt, prout gens Gabinia a Gabinis, et Tarquinia a Tarquinis. Vibiæ plebejæ pariter ac consularis gentis, multæ a Scriptoribus Familiæ nominantur. Vibia hæc Familia Siciliam primum profecta, in Romanam postea Civitatem fuit adscita.

Marmor repertum est in Viddo, ab Ecclesia a Christianis sub invocatione S. Viti martyris primitus ibidem erecta, nuncupato; quod magnificentissimæ olim, nunc trigonæ urbis figuram exhibet. Hæc urbs celeberrima quondam, a Ptolemæo Narbona, a cæteris Narona appellabatur ex Naronis fluvii cognomine ad dexteram apposita: ex cujus ruderibus agrisque tot hucusque Romanæ Antiquitatis monumenta eruta numerantur, ut innumera pene dici queant Romanorum numismata, carneoli, inniccoli, anaglypta singulari cælatura insculpta, columnæ Jonii potissimum ordinis, et marmora prægrandia inscriptionibus antiquis onusta. Nullus hic esset dicendi finis, si cuncta, quæ defossa sunt in Viddo, extarent: sed dolendum valde, quod gens nostra abolendæ Gentilium superstitionis percupida, ubi antiquas inscriptiones, et inanium deorum simulacra offendit, in rabiem confestim acta, cuncta solet confringere, abjectisque usibus monumenta comminuta dedicare. Novi ego frontem Ecclesiæ unius paucis ab hinc annis magna ex

Digitized by Google

parte marmoribus ex Viddo allatis compactam, quibus insculpti Romani characteres vel insipienter deleti, vel ex adverso mœnibus consepulti. Ferme quælibet antiqua inscriptio, ut hoc in opusculo fas erit conspicere, hujuscemodi plerumque subit periculum : ita ut quantum Dalmatæ nostri laudibus cumulandi sunt, quod vatiniano odio Gentilitatem exhorreant; tantum literatorum vituperatione prosequendi, quod præclaræ hujus eruditionis monumenta disperdant.

Quod aram inter et altare aliqua intercedat distinctio, antiquitatum studiosus inficiabitur nemo: nam altare est augustum aliquid, in quo victimæ adolentur; erat vero ara, quam precantes, et jurantes tangebant, et in qua supplicabatur tantum, aut libabatur.

IV.

. . . . . .

SAC.
DAP-INVS.
P. C. VII.
V. S. L. M.

Trans paludem inter rudera Macarschæ repertum est ad maris litus in loco Illyrice *Zablatje* dicto, ædificiorum ele-

Digitized by Google

elegantia et varietate quondam celebri, nunc autem amœna ciscumsepto planitie. Magni lapides ibidem paulo ante extantes, nunc vero alio transvecti, antiquam loci dignitatem evincunt; qui superioribus annis e fundamentis una cum aureo numismate M. Julii Philippi Arabis effossi, nostratibus indigenis admirationem pepererunt. Nummus ipse pulcherrimus ponderis erat unciæ unius: non satis tamen exploratum habuimus, utrum parentis, an vero filii Philippi præ se ferebat imaginem, quod probe discriminare salebrosum fatetur etiam Clariss. Carolus Patin in præclaris suis enarrationibus Imperialium Romanorum Numismatum.

Marmor in summitate detritum conspicitur, cui videtur Daphnus Sacrum nuncupasse. Habes, lector, sigla conflata ex P. et H. sic P-H. in unum. Siglorum P. C. VII. sensus quis sit? Daphnum arbitror interpretari oportere Præfectum Cohortis septimæ (ex decem enim Legio constabat), qui præerat 150. militibus; nisi Pentacontarchum fuisse velit quis autumare, quippe qui Præfectus 50. militum erat. Verum Daphnus quid? Nomen istiusmodi penes Lapidarios omnes, *rara avis* (ut inquiunt) *in terris*. Daphnem suburbium a Dione lib. 5. vocatum, atque Antiochia quinque passuum millibus distans, ita dictum esse a laurorum copia, testatur inclytus a Lapide suorum Scripturæ sacræ Commentariorum tom. 3. 2.

Digitized by Google

Mac. 4. Ibidem lucus erat omnium amœnissimus, cujus nullam omnino arborem exscindere, vel distrahere licebat. Daphnus in laurum conversus legitur in Pindi convallibus, in loco amœnissimo Tempe dicto. Eum describit Titus Livius IV. *Quintæ Decadis*. Idcirco ex *Daphnon* græco laurus latine interpretatur. Hinc et balneum Daphnidis habemus, forte a proximo laureto, vel fructibus lauri, qui daphnides dicuntur, hoc balneum nomen accepit. Atque hæc de Daphnidis nomine : nunc de Daphnephoriis pauca . Festum erat Daphnephoria apud Bœotos, Apollini Ismenio, et Galaxio dicatum. Singulis novenniis agitabatur, et lauri in illo a sacerdotibus lauriferis cognominatis, gestabantur, hymnisque Apollo celebrabatur. Præerat his Daphnephoriis puer, cujus uterque parens superstes erat, cui alius, qui valde familiaris, lignum coronatum gestabat. Deinde subsequebatur alius, laurum manu gestans, laurifer itidem dictus. Præterea incedebat Daphnephorus sacerdos capillis demissis, et fluxis, aureaque redimitus corona, splendidaque veste, et calceis indutus. Hunc virginum chorus comitabatur, ramos ad supplicationem, quæ hymnis celebrabatur, prætendens. Mittebant autem lauri gestationem ad Apollinis Ismenii, et Galaxii fanum.

V.

Digitized by Google

V.

CASTORI
ET POLLVCI
SACERVM
FABERICIA
PIERIS
V. S. L. M.

Sacerum pro *Sacrum* quadratarii vitio irrepsisse puto. Attamen *Sacerum* pro *Sacrum*, *Fabericia* pro *Fabricia*, non ita novum, nec inusitatum in Latinis monumentis, litera E inter duas consonantes interjecta; quod et Græci quandoque usurparunt. Vide Villoison Anecd. Græc. tom. 2. pag. 124. not. 2. Castorem et Pollucem, geminos Ledæ filios, passim conjungi quis ignorat? Utriusque ædes communis Romæ in foro fuit, ut docet Cicero de Nat. Deorum lib. 3. pag. 332. H.

Marmor Salona nuper nobis dono missum, unius pedis cum dimidio magnitudinis, Castoris et Pollucis exhibet imagines anaglypho opere excisas. Ibidem pulcherrime conspiciuntur immortalitatem ad invicem dividentes: nam Pollux habitus immortalis, velut Jovis filius, dicitur, patrem obsecrasse, ut Castorem etiam

Digitized by Google

immortalitate donaret. Precibus filii annuit pater, ita tamen, ut redivivo altero, moreretur alter. Fabulam ad vivum Marmor exprimit. Utinam et nos Marmorum nostrorum ornamenta omnia lectoris eruditi oculis subjicere possemus! Verum qui ea graphyce adumbraret, nullus hucusque ex nostratibus repertus est.

VI.

TVRRNNVS . FIR.
VEXIL. COH. FREI
MERCVRIO
V. S. L. M.

Utrumque Marmor scripto tantum redditum mihi fuit ab optimo et religiosissimo viro P. Francisco Radmano, Seraphici Min. Obs. Ordinis Provinciæ SS. Redemptoris in Dalmatia alumno. *Turrnnus* litera N prima pro A quadratarii culpa. Lectio igitur sic est emendanda: *Firmanus Vexillifer Cohortis Forojuliensis*, vel *Ferantinæ*; melius *Fretensis* a Legione *Fretensi*, de qua num. I. Marm. Affect.

Mercurium a Gallis præcipua religione cultum esse docet Julius Cæsar lib. 6. de Bell. Gall. c. 17. Germanos Gallorum vicinos idem numen coluisse, testis est Tacitus

tus in Germania. Vel igitur Vexillifer Firmanus, vel Cohors ipsa Fretensis, Gallica, seu Germanica potuerat esse.

Unum quod superaddere hic loci censemus, est paragraphus Italicæ Radmani supradicti epistolæ, qui sic habet: „ Impræsentiarum *Mutch* vocitatur locus, qui „ *Zminovo* superiori sæculo dicebatur, ex occidua Signii „ regione. Quatuor circiter millibus passuum distabat „ antiqua civitas, *Setonia*, seu *Setovia* dicta. Amœna „ exsurgit planities occidentem versus, quæ ad quinque „ milliaria longitudinis protenditur. In medio campi „ hujus extabat Turris, quam tempore Octaviani Augu- „ sti, incolebat Statilius Taurus supremus Romani exer- „ citus Imperator. *Hunc Consulem fuisse cum M. Æmilio* „ *Lepido anno Christi* 11. *Fasti Consulares testantur*. Tur- „ ris hujus nulla modo supersunt vestigia. Ad orienta- „ lem plagam spatio circiter passuum quingentorum ru- „ dera visuntur parvæ cujusdam civitatis, qui locus nunc „ *Orgija* nuncupatur, in quo Inscriptionem quæ incipit, „ *Castori et Polluci*, regionis incolæ repererunt; illa ve- „ ro, cujus initium *Turranus*, effossa est non longe ab „ eodem loco. " Hæc ille.

VII.

Digitized by Google

VII.

Nunc primum editum.

L· MAGIVS
PRINCEPS
MERC· V· S

Extat inscriptio hæc in columella eodem hoc anno 1809. in Viddo Naronæ defossa, atque ad Præsulem Macarensem allata. Verum quid hic sibi velit Princeps? Penes Romanos erat olim Princeps Senatus, Princeps equestris ordinis, Princeps judicum, Princeps in Legione, Princeps Civitatis, Princeps juventutis, Princeps inter frumentarios, et Princeps inter milites. Sane non alium Lucius Magius principatum obtinebat cum votum solverat Mercurio, nisi ex hic recensitis postremum. Erat ergo Princeps inter milites, quod idem sonat ac principalis, seu præcipuus miles. Principes Varro dictos vult, quod primi essent, qui gladiis pugnarent: hi enim in prima acie, ante hastatos pro more collocabantur. Verum quid cum militia Mercurio? Mercurius, a Clemente Alexandrino, Thebanus; ab Etruscis dictus Camillus; ab Auguribus Trismegistus; inter deos Penates recensitus; ab Ægyptiis sub imagine Anubidis cultus;

Bac-

Digitized by Google

Bacchi nutritius; idem cum Sole habitus; aer etiam, ac Veris parens, musicus, ac zephyrus nuncupatus; cftharæ, fistulæ, literarum, lanificii, mensurarum, ac ponderum inventor; pacis, rerumque affluentiæ dator; nunc alatus describitur, ut velocem Solis excursionem exprimat; nunc lucrius appellatur, quod mercatorum deus habitus, mercimoniis, et contractibus, die, et per lucem confectis, præsit; nunc Nuncius dicitur, quod Sol lucis beneficio, quæ secreta sunt atque incognita, patefaciat; tandem fur creditus, nam et Solem furari, et rapere videtur. Quid horum Lucio Magio arriserit, ut Mercurio vota nuncuparet, mihi omnino incompertum. Profecto voti causam rescivissem, si statuam Mercurii, quæ columellæ insederat, conspicere licuisset. Verum æream fuisse non dubito, ut in ejusdem columellæ superficie apparet; quam quidem ruricola repertor vel confregit (prout assolet fieri), vel spe maximi lucri percipiendi alio distraxit.

Quod huc refert, scire operæ pretium erit, quod hoc eodem Decembri mense Rhacusa mihi Macarscam reduci, cum in Naronæ confinio constitissem, oblatum fuit Mercurii simulacrum ibidem repertum, atque perbelle ex marmore illo pellucido, cui Alabastrites nomen est, efformatum. In altitudinem protenditur ad medium pedis. Pulcherrimi juvenis faciem præfert, atque ad genua

Digitized by Google

nua penes excisum. Caput habet pileo contectum, atque duabus alis exornatum, quod quidem velocitatem designat. Dextera ad caput elevata clavam sustinet, sinistra Testudinem tenet, symbola fortitudinis et consilii, quæ virtutes negotiatoribus sunt potissimum necessariæ. Festus Mercurii nomen a mercibus derivat. Ejus cultus insignis erat in locis, in quibus nundinæ frequentabantur. Narona ergo erat olim commercio celeberrima. En ex hocce Mercurii invento simulacro novum omnino ac nobile historiæ Naronianæ incrementum!

VIII.

I. O. M.
ET GENIO. M.
N. SALVIS CI.
VIBVS NOVEN.
SIBVS AVRELIV...
DONATVS
VOTVM POSVIT

Quanti facienda sit diligens antiquarum Inscriptionum conquisitio, ostendunt illustria literariæ Reipublicæ incrementa quibus ipsa in dies locupletari conspicitur. Unam, eamque præcipuam Geographis parit utilitatem Marmoris hujus nostri Inscriptio; quippe quæ Civitatis

No-

Digitized by Google

Novensis; cujus ne quidem nominis memoria extabat, non tam nomen, quam locum, in quo sita quondam fuerat, perbelle pandit. Itaque quod nostratibus Illyrica nunc lingua *Runovichi* sonat, illud latine a *Novo Rure* nomen mutuatum, *Novenium*, seu *Novanium* antiquitus dicebatur. Topographica hujus pervetustæ Civitatis positio ad duodecim miliaria trans Macarenses alpes orientales, e regione Intothensis propugnaculi, secusque planitiem amplissimam eruitur extitisse. Non procul enim ab hodierna *Runovichii* Ecclesia Curata effossæ sunt superioribus annis sex numero columnæ, perpulchris ornatæ Inscriptionibus, ex quarum tribus furens indigenarum erasit ignorantia, quidquid veterum solertia memoriæ hujus temporis prodere siglorum arte curaverat: alias vero male habitas atque ibidem repertas Inscriptiones sequentes exhibebunt numeri. Quod huc refert, sigla M. N. interpretor *Municipii Novensis*. Multiplex eruditorum opinandi ratio, varietatem Gentilium numinis in Genio confinxit. Majores nostri Genium hunc Jovemque eousque exhorruere, ut sacramento effari vana hæc hominum commenta adacti, mortem vel crudelissimam potius oppetere eligerent, quam Christianum os prophana deorum inanimium invocatione polluere. Quod autem Municipes ab Colonis differant, constat quam apertissime: nam

Mu-

Digitized by Google

Municipes ut Cives Municipii suis legibus et jure, Coloni vero Civitatis, a qua sunt propagati, utebantur. *Salvis Civibus Novensibus;* hac dicendi ratione vel insignis recepti beneficii votivo hoc Lapide recolitur memoria; vel Municipes erga concives suos hanc adhibent salutandi formulam. *Aurelius Donatus* temporis injuria literam S in fine prænominis tandem amissam dolet. Hocce Marmor primum est a Zanetto vulgatum, ejusque interpretatio omnino cum nostra convenit.

IX.

I. O. M. ...
C. ATILIVS GE...
MIL. LEG. XIII.
.... A. LEG. IAD.
..... B. COS.
.... S. L. M.

Duas hoc Novense Marmor Legiones commemorare videtur. Nemo nisi in Romanis Antiquitatibus peregrinus aut hospes, ignorat, variis nominibus Romanas Legiones fuisse distinctas, nimirum vel ab ordine, ut prima, secunda, tertia, vicesima etc. vel ab institutoribus, ut Augusta, Claudiana, Galbiana etc. vel a Provinciis devi-

Digitized by Google

devictis, ut Parthica, Gallica etc. vel a deorum nominibus, ut Apollinaris, Veneria etc. vel denique ab eventibus, ut Victrix, Fulminatrix etc. Legio hic recensita. XIII. ordine fuisse patet, quam insuper Claudianam ab suo appellatam auctore non sine aliqua ratione conjicio, cum ex detritis ante literam A Lapidis siglis, videatur locus extitisse tantum hisce aliis literis CL. Sigla, quæ secundam in eodem Marmore inscriptam Legionem subsequuntur, sic legenda puto: *Legionis Primæ Adjutricis*. Sed quæ B. literam antecedebant sigla quis divinabit? Fortassis nomen exprimebant Legati Consularis, qui totis præerat exercitibus. Nec conjectura suo destituitur fundamento, cum duæ Legiones cum suis sociis et equitatu dicebantur *Exercitus Consularis*, qui in universum erat militum octodecies mille et sexcentorum. Sigla V. nostro huic desunt Lapidi, quæ subsequentibus S. L. M. conjuncta, in quocumque votivo Marmore sic sunt legenda: *Vōtum Solvit Libens Merito*, vel, *Voto Soluto Libero Munere*. Deceptus Zanettus aliter hoc Marmor protulit, quam revera exaratum fuit, ut meis ipse oculis inspexi. Nulla Marmori supposita basis est; et interpretatio ingenii sui arbitrio tota innititur.

X.

Digitized by Google

X.



Quibus præcedentia duo Marmora votiva nuncupata sunt, iisdem Numinibus Jovi et Genio Municipii Novensis tertium hocce Gajus Vibius Pompejus, seu Pomptinus, Numerius Bona Fortuna Consul Legionis, secundæ forsan, Adjutricis, inscriptum dedicavit. Huic Marmori basis subjecta, de qua Zanettus; sed suo, aut alterius arbitrio hæc legit eidem inscripta.

IIVIRIS. Q. Q. AVRR
MAXIMO ET ANNEO

Ceterum Marmor ipsum male exscriptum, et ita Zanetto

Digitized by Google

netto missum. En quid sibi velint basis sigla O. AVR. I... *Ordo Aurificum Imp. Max. T. Fannio* Marmor hocce dicaverat, quod alterius inscriptionis fragmentum fuisse apparet: idcirco non improbabili conjectura ducimur affirmandum Marmor hoc idem alio Marmori fuisse superpositum. (Habes hic, lector in nota 'F, literas T. F. I. simul compactas.) Fieri vero poterat, ut in Marmore, huic nostro supposito, relata Zanettiana inscriptio exarata fuisset. Maximus igitur, et Anneus duumviri Novensis urbis, erant etiam Aurificum Quæstores, sic dicti a quærendo, quod nimirum publicas pecunias conquirerent.

XI.

. . . . . S.
FORT. R..
T. FL. SAB...
B-R. COS. L...
..... T. ITAL.
V. S. L. M.

Numinis, cui Sacrum votivum fuit erectum, nomen omnino deest. Quæ sequuntur, lege: *Fortuna Reduce Titius Flavius Sabatinus*, seu *Sabinius*, *Bona Fortuna*,

Digitized by Google

quin potius *Britannicus Consul.* Sigla detrita suspicor explicanda *Legionis Martiæ*, quæ ob devictam Italiam *Italica* insuper dicebatur. Perspicis in sigla B-R, tres literas, B. R. F. perbelle conjunctas.

XII.

SILVANO
AVG. SAC.
ACVTIANV...
RE. COS. LEG. XII...
GEM. GORDIAI...
DM. GORDIANO. AVG.
I T. AVIOIA. CS... LA

De Silvano Auctor finium regundorum ait: *Nam omnis possessio tres Sylvanos habet: unus dicitur Domesticus, possessioni consecratus: alter dicitur Agrestis, pastoribus consecratus: tertius dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus, a quo inter duos, pluresve fines oriuntur.* Inscriptio hæc nostra, sacra erat Silvano Orientali. Omnis autem possessio quare Silvanum colit? Quia primus in terram lapidem finalem posuit. *Aug. Sac.* lege *Augustatum Sacrum*: nam penes Macrobium si augustata mensa ea dicitur, quæ augusta facta est, id est,

Digitized by Google

est, quæ consecrata est; *in templo*, inquit, *Junonis Populoniæ augustata mensa est* : cur nos Silvano Augustatum Sacrum hocce non appellabimus quod rite olim fuerat sacerdotum dicatum manibus? Sic Cicero 5. Tuscul. Nobile hoc Romanæ antiquitatis monumentum in antiqua Novensi Civitate nostra repertum pariter est cum præcedentibus, alioque curante satis perito Ecclesiastico Viro, ad me scripto delatum. Interpunctio mihi quidem videtur indiligenter conscripta, cum potissimum quæ in quarta extant linea, siglorum sensum non parum perturbent. Idcirco in quarta linea sic sigla statuenda censeo, ut in eodem Marmore emendato: RE. COS. LEG. XII., ex quibus sequitur, Acutianum Consulem Legionis XII., (forte etiam XIII., vel XIIII., ut ex jam detrito Marmore conjectari fas est) fuisse, Sacrumque Augustatum Silvano extructum, Consulibus M. Antonio Gordiano Augusto, et M. Acilio Aviola, id est anno post Christum natum 239. En ex hoc Marmore etiam Chronologica utilitas. Ergo Novensis præclara Duumviralis antiqua Civitas subsistebat tertio sæculo. Zanettiana interpretatio est hujusmodi:

Digitized by Google

SILVANO
AVGVSTO SACRVM
ACVTIANVS
BENEFICIARIVS CONSVLIS LEGIONIS XIIII
GEMINAE GORDIANAE
DOMINO NOSTRO GORDIANO AVGVSTO
ET AVIOLA CONSVLIBVS

Quænam lectio, nostra ne, an Zanettiana verior? Ex adductis, ut supra, rationibus, et auctoritatibus dijudicet eruditus Lector. Verum in tertia linea RE, non BE, perspicue legitur. REDVX forsan Acutianus, in grati animi memoriam Silvano augustatum sacrum erigendum curaverat. De extremis literis LA quid? Interpretor: *Libero Animo*. Deest forsan litera D, ut ex Lapidis vacuo apparet loco. D. *dedicavit* legendum. De Silvano deo plurima erudite disseruit Clariss. Fontejus.

XIII.

CEERI SAM
MARINVS
V. S. L. M

Ex-

Digitized by Google

Extat Marmor in Georgiana Desnensi Naronæ Ecclesia. Orpheus Cererem Rheam esse dicit, et Arnobius l. 5. c. Gentes Jovis Matrem appellat. Hesiodus non Rheam esse, sed Rheæ, sive Opis et Saturni filiam affirmat, cum quo Ovidius lib. 6. Fast. et Diodorus consentiunt. Habita est dea frugum, prout testatur Ovidius lib. 5. met. Fab. 6., meritoque in agro Naroniensi exculta, quippe qui olim potissimum frugum feracissimus erat.

XIV.

MA IES. IAN. ISID IVSA
FIR. EN. AT. ANV.

Marmor, ut cætera, meis ipse oculis in eadem Desnensi Ecclesia inspexi, atque, ut potui, exscripsi. Calce delibutum vix præfata sigla subministravit. Legendum censeo: *Majestatibus Jano, Isidi, Firminus*, vel *Firmicus Endotercisus, Atque Anubi*. Maximam, Lector, hic habes deorum inanium turbam, Jani nimirum, Isidis, et Anubidis a Firmino, seu Firmico hoc Marmore excultam, inter quos maxima etiam intercedit relatio. Ægyptii præcipuo quidem honore eadem hæc numina prosequebantur. Janus Solem, Isis Lunam apud Ægy-

Digitized by Google

ptios significabat. Eusebius lib. 2. de Præparatione Evang. dicit, Anubim fuisse custodem corporum Osiridis, et Isidis, et propterea Canino capite figuratum esse. Firminus igitur Ægyptiorum superstitioni favens, videtur eorumdem numinum cultum apud Naronianos instaurare voluisse, iisdemque *Votum Solvisse Animo*.

XV.

Ex secunda additione ann. 1793. *n.* 1.

I . O . M .
SVLPICIVS CAL
VIO C. LEG. ΨM. PR
AEPOSITVS . CH
O Ψ BELG. HOC IN
LOCO . MAIESTA
TE . ET . NVMINE
EIVS SERVAT
VS

Marmor hocce ex columella quadam desumpsi; quod in Vergoratio perantiquo effossum jam pridem oppido, atque ad præsens in meis adservatum ædibus, majorem profecto tribuit loci celebritatem, quam Abbas Fortis in Dalmatici sui itineris Volumine 2. fol. 145. recognovit.

Digitized by Google

vit. Nam Vergoratium arcem esse scribit a Turcis primum, nunc autem a nostratibus inhabitatam, cum ex ruderibus, quæ ibidem etiamnum superesse conspiciuntur, et aliis, quas ipsemet retulit, rationibus, antiquior omnino nobiliorque Vergoratio origo sit tribuenda. Huic conjecturæ hoc Marmor potissimum suffragatur, quod penes domum Martinaz neglectum, inter cætera, quæ abs Turcis eruta ac male habita ibidem visuntur, vix licuit exscribere. Habes igitur in eo, qua ratione Sulpicius Calvio Consul Legionis Primæ Martiæ, atque Præpositus Cohortis Primæ Belgicæ in parva ac Vergoratio proxima planitie, Jovis majestate, et numine, ut ipse insipienter putabat, servatus fuerit, cum nimirum exercitum suum ibidem in expeditionem eduxerat. Parva quoque atque ære fusa Jovis statua columellæ insidebat, quæ ad manus nostras pervenire nullo modo potuit. Quod ad Sigla pertinet, in nullis, quæ hucusque in Dalmatia effossa sunt, Marmoribus videre licuit numerum Romanum ✠ sic decussatum. En insuper litera N. E. hoc modo NE siglatice insculpta. In Dalmaticis Marmoribus novum omnino, Majestatis nomen numinibus tributum, ut in hisce duobus Marmoribus nostris est videre. Majestas enim a magnitudine dicta est, idemque ac decus, amplitudo, ac dignitas, quæ passim tribuitur vel Populo, vel Senatui, vel Principi, vel Im-

Digitized by Google

peratori, aut etiam cuipiam privato magno viro, atque alteri adeo inanimatæ rei. De cordis symbolo inferius.

XVI.

Ex tertia additione ann. 1796. pag. 27.

AESCLAPIO

In lustratione Diœcesis Macarensis, habita anno 1792., cum in Viddo Naronæ constitissem, in prægrandi Marmore sic insculptum vidi palmaribus literis: quæ inscriptio probat ibidem Æsculapio templum potius quam aram fuisse constructam, cum in dedicandis aris nec Lapides magni, nec palmares literæ ponerentur. Æsculapium Templorum cultu veneratum novimus Athenis, in Argolide apud Corinthum, apud Ægienses, apud Carthaginienses, apud Epidaurios, apud Naronienses, et Sicyoniæ potissimum. Populus Romanus sero valde Æsculapium ex Epidauro ad pestilentiam avertendam Romam advexit. Cum enim Romani sævissima peste laborarent, inspectis Sybillinis libris didicerunt, non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidauro, ubi plurimum colebatur, Æsculapius esset accersitus. Itaque missis Epidaurum legatis, prægrandis Serpentis specie Romam navi advectus, in Insulam Tiberi-

Digitized by Google

berinam, ubi templum ei dicatum est, tranavit, adventuque suo pestem omnem dispulit. Hæc Valerius Max. lib. 1. cap. 8. Eadem etiam Ovidius refert lib. 1. Fast. Serpentes Æsculapio tribui res est notissima; idque ideo factum scribit Festus in v. *Draconis*, quia vigilantissimi generis putantur, et illa res maxime medicinæ necessaria est, ipseque in Serpentem mutatus esse fingitur, ideoque Æsculapius serpens etiam est appellatus, quemadmodum observat Salmasius ad Herodis Attici inscriptionem. De Epidauro Illyrica, de Æsculapio, deque ipsius Statua etc. satis docte atque erudite scripsit Clarissimus P. Franciscus Appendini Scholarum Piarum tom. 1. Historiæ Rhacusinæ Civitatis, post initium, scilicet part. 1. lib. 1. cap. 5. 6. 7. 8. 9. et lib. 2. cap. 1. 2. 3. 4. etc., ubi etiam pag. 45. octo Marmora Epidaurensia refert.

Cæterum Cic. l. 3. de Natura Deorum Æsculapios tres numerat. Eum sane Æsculapium olim Naronienses, et Epidauritani nostri venerabantur, qui, ut ait Servius in 2. Georg. v. 380. *habitus est ægrorum deus, eorumque votis, et precibus fatigabatur, cui capram immolabant, et gallinam, et gallum gallinaceum*. Hinc ob eam fortasse causam Æsculapio Socrates gallum testamento moriturus reliquit. Gallus huic numini sacer erat propter vigilantiam, quæ virtus Medicorum propria esse debet.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Ex secunda additione 1793. typis vulgat. n. 2.

..I.D.S.
..M. LVSIVS
TROFIMAS
LIB. POSVIT

En tibi, Lector, Lusiam gentem, de qua hucusque nemo. Lusios a Lusio flumine dictos conjicio. Non longe a Lusio flumine in Arcadia Æsculapii tertii Artippi, et Arsinoes, *qui primus*, ut ait Cic. l. 3. de Natura Deorum, *purgationem alvi, dentisque evulsionem invenit*, sepulcrum, et lacus ostenditur. Cajum Lusium commemoravimus in Marmoribus nostris Macarensibus editis ann. 1789. n. 30. pag. 35. Marmor, in quo *Marcus Lusius Trofimas*, in Viddo Naronæ pariter erutum, in perpolito lapide ibidem extare conspicitur, donec ab incolis, ut assolet, conteratur. Habemus Trophimi, alii sane, memoriam in Marmore Veronensi relato ab Clariss. Grævio tom. 5. Thes. Rom. Antiq. pag. 930.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII.

Ex tertia additione ann. 1802. typis vulgata n. 4.

M. LVSI. C. V.
MODESTVS
LIB. TEMPLVM
EX. VOTO. RES
TITVIT

Narònianus Ager, Romanarum Antiquitatum feracissimus, postquam nobis plura eaque illustria eruditæ vetustatis monumenta obtulit inspicienda, non paucas sane Lapidarias Inscriptiones, ex sinu suo erutas, atque ad nos in iisdem effossis Marmoribus perlatas, exhibet etiam considerandas. Ex multis unum perstat etiam in hoc Marmore, quod in suæ effossionis loco probat incerto quidem numini Templum dicatum atque restitutum fuisse. Qui Templum ipsum refecerit, fuit Marcus Lusius, et Cajus Vibius Modestus. Marcum Lusium præcedens Marmor commemorat, Cajum vero Lusium videre est in fragmento n.º 35. hisce iisdem Siglis recensito, C. LVSI. De Quinctio Vibio scripsimus perpauca n.º III. ubi etiam aliquid de Vibia Gente. Gajum Vibium Pompejum, seu Pomptinum Marmor X. edi-

Digitized by Google

edicit. Vibia gens in diversas omnino familias divisa fuerit oportet. Julius Jacobinius Vibium a Vibice derivari censet: est enim Vibex, teste Festo, signum verberis in humano corpore remanentis; ita dictum, quod vi fiat. Legimus *Vibium Modestum*, Assisii in Umbria. Idem Jacobonius plura de Vibiis in Appendice ad Commentarios Clariss. Fonteii pag. 98. Si de numinis nomine conjectare liceat, nos Jovi Templum restauratum conjicimus, quippe quem a Marco Lusio excultum ostendit Marmor sub n.° XVII. relatum. Cur autem sacer locus Templi nomen obtinuerit, ipsa antiquitate edocemur. Templum enim dicebatur antiquitus ager quilibet inauguratus, in quo Augures sedentes, et liberum undique aspectum habentes, baculo incurvo utebantur, avibusque Templum designabant. Templum ipsum erat mœnibus circumseptum, ita tamen, ut ex eo in omnes cæli partes liber esset aspectus.

Ex Voto : solemnis erat apud antiquos formula, qua significabatur, se Deo ad aliquid præstandum obligari: hinc etiam vota nuncupantes, *rei voti* dicebantur.

Libens : in antiquis Inscriptionibus Votivis nihil hac voce frequentius. Sollemnis itidem erat in precibus et gratiarum actionibus formula. Veteres igitur *ex voto* aliquid facere dicebant, cum nimirum promissa numinibus facta persolvebant. *Libens* autem dictio tunc scribebatur,

Digitized by Google

batur, cum expetitum beneficium a deo quopiam se jam suscepisse quis putabat. Cæterum Marmora Epidaurensia apud Clariss. P. Appendini Lusiam Maximam n.º IV. recensent.

XIX.

Ex tertia additione prædicta n. 1.

I . O . M
L. MVNNIVS IMNIS
V. S. L. M

Hæc Inscriptio subest Aquilæ lapideæ, pennigeræ, pedibus insidenti, alisque paulo expansis, ad dexteram rostratum caput sursum detorquenti, atque palmi unius altitudine productæ. Lapis hic Votivus Jovique in alite ipsi sacra nuncupatus, fortasse ostendit, Lucium Munnium a quopiam periculo immunem extitisse. *Melius*. Hæc dictio *Immunis* in militaribus monumentis plane obvia : fuit namque apud antiquos immunitas, honor militibus collatus ad tempus, ob merita ipsorum, ut abunde Saxa indicant.

XX.

Digitized by Google

XX.

Ex additione n. 2.



Jovi posita conspicitur hæc columella, PS. lege, si placet, *Private Sumptu:* DM. Dedicatum. IIVLIVS perspicis scriptum pro *Julius*. Veteres non semel etiam *Maiius* pro *Majus*, *Pompeiius* pro *Pompejus* dixere. FVS *Faustus* interpretor .....S CO.... Fortasse præferebat nomen etiam alterius Consulis Legionis cujusdam.

XXI.

Digitized by Google

XXI.

Ex eadem additione n. 3.

I . O . M . S.
MAXIMVS
LAPIDARI
VS. EX. VOTO
ARAM. POS.

Marmor hocce, Jovi pariter sacrum, satisque suapte natura clarum atque in Viddo Naronæ defossum, ut et columella sub n.° XX., nostrarum animadversionum subsidio minime videtur indigere.

MAR-

Digitized by Google

MARMORA AFFECTUUM

MISCELLANEA.

I.

Ex Marmoribus Macarensibus edit. anno 1789. *n.* 13.

..... PR. PR.
LEG. A. .....
PROVINC. SYRIAE
LEG. AVG. PR. PR.
PROVINC. BRITTANAE
LEG. PR. PR. PROVINC. GER
MAN. INFERIORIS. PRAEF.
AERARII. SATVRNI.
LEG. LEG. XXX. VLPIAE
PRAETOR. TRIBVNO
PLEBIS. QVAESTORI
AVG. TRVNO. LATI
CLAVO. LEG. X. FR'EN
SIS. TRIVMVIRO
A. A. A. F. F.
AEQVENSES
MVNICIPES.

Præ-

Digitized by Google

Præstantissima hæc Inscriptio in prægrandi Marmore reperta est penes Tilurum Dalmatiæ fluvium in loco Illyrica lingua Çitluk nuncupato, qui Signio ad tria circiter milliaria distat. Eam pari sollertia scripto reddidit mihi idem P. Radmanus, de quo supra; Marmorque ad Signiensem Fratrum Min. Observantium Conventum curru fuisse traductum narravit. Effossio præclari hujus Marmoris contigit anno 1770. Inscriptionem Lovrich publici juris fecit in Italico suo Opere, quod adversus Fortis edidit, sed minus accurate: nam alia omisit, alia omnino invertit. Æquenses in eo descripti Municipes, Æqui pervetustæ civitatis ignotum hactenus situm produnt quam apertissime. Ptolemæus, et Plinius Jaderam, Scardonam, Æquum, Salonam, Naronam, Epidaurum Colonias Romanas vocant. Duas Gruterus Inscriptiones habet, quæ Æquensem Coloniam illustrant. Unam ex ipsius *Zlatna Transilvania* pag. 387. n. 4. exscribimus:

Digitized by Google

P. CELSENIO CONSTANTI
DEC. COL. DELMATIAE
CL. AEQVO. ITEM DEC. COL
DAC. V. A. XXX.

Aliam ex Alba Julia, pag. 33. n. 3.

DEC. COL. AEQVENS

Etiam Reinesius Inscr. Op. p. 712. refert Sertoriam quamdam DOMO AEQVO, puta oriundam Colonia AEQVO, ut ait Cellarius in Notitia Orbis Antiqui tom. 1. lib. 2. cap. 7. sect. 5. n. CXXI. pag. 495. Verum Marmor nostrum Æquum non Coloniam, sed Romanorum Municipium fuisse probat. Colonia enim Oppidum erat, in quod Romani Magistratus ex urbe cives traduxerant, vel quod sine traductione coloniarum jure donatum erat. Municipia vero dicebantur civitates suo jure et legibus utentes, muneribus tamen populi Romani, et honoribus fungentes. Capiebant namque munera, honores, et magistratus cum Civibus Romanis; a quo nomen sibi vendicavere, nulla populi Romani lege astricti. Erant itaque municipiorum incolæ, qui Municipes dicebantur, meliore conditione, quam Coloni; quod quidem probat Municipia Coloniis præstitisse.

Insi-

Digitized by Google

Insignis Marmoris hujus nostri caput confractum vehementer ingemiscimus; nam in eo Proprætoris nomen, agnomen, prænomenque extitisse minime dubitamus. Quid vero sit esse Proprætorem, satis superque docet Clariss. Antonius Augustinus Ep. Ilerdensis, qui eruditum sane scriptum reliquit apud Grævium tom. 7. pag. 1276. etc. *de iis, qui Proconsules, et Proprætores, et Proquæstores dicebantur*. Jam vero investigandum superest, quid per cælati flagrantisque cordis symbolum Æquenses Municipes significare voluerint? Hujusmodi sane symbola sæpe conspici solent in vetustis Christianorum potissimum monumentis, quæ a Bonarrotio in sua *de Vitris* dissertat., a Fabretto, et ab Aringhio in *Roma Subterranea* proferuntur, quin et in Codicibus aliquando expressa sunt, ut in Sacris Bibliis Montis Amiatæ observat Bandinius §. 18. Dissertat. insertæ tom. 18. Opuscul. Ferrariensium; eadem tamen in profanis etiam Marmoribus Dalmaticensibus non raro visuntur. Aringhius autem in Tom. 2. Operis laudati lib. 6. cap. 50. causas indicat, cur imago cordis in sepulchris potissimum veterum Christianorum insculperetur, nimirum ut amoris esset testis in eos qui obierant, aut eorundem innocentiæ, vel sapientiæ index; quippe hæc eadem cordis et nomine, et symbolo passim a veteribus, et in divinis etiam libris significantur. Hinc in no-

Digitized by Google

stro Lapide vel Æquensium in hunc Virum, quem ornant, affectum intellige in cordis symbolo, vel Viri innocentiam, sapientiamve in suis Magistratibus obeundis. Verum de ejusdem cordis insculpti symbolo alias. Sigla autem A. A. A. F. F. lego: *Auro, Argento, Ære, Flando Feriundo*. Habes insuper ex insigni hocce Marmore Legionis Fretensis memoriam, quæ *Fretensis* nuncupabatur ex littorea Sicula statione: mare namque Siculum dictum insuper a Latinis erat *Mare Fretense*, prout animadvertit Forcellinius in Excellenti suomet ipsius Lexico totius Latinitatis.

Verum ex hoc defosso Marmore non unius solum Æqui situs eruitur, sed etiam gravi conjectura Stridonis, patrii nimirum soli nostratis Hieronymi Doctoris Maximi Ecclesiæ sanctissimi locus firmatur. Non is ego sum, ut a præclaris Viris literariam toties habitam, totiesque renovatam litem valeam componere: pace tamen tantorum Virorum, quid occasione effossi hujus Marmoris senserim ipse, ingenue pandam. In historicis geographicisque Dalmatiæ monumentis, quæ ab Casimiro Freschot collecta, lucem publicam anno 1687. typis Jacobi Monti Bononiæ aspexerunt, fol. 316. Stridon Æquo limitropha recensetur. Stridon ergo nequaquam in remotissimas orbis plagas rejicienda, sed Dalmaticis hisce nostris regionibus jure est adscribenda;

quæ

Digitized by Google

quæ Tiluro proxima Æquoque, nullibi aptius collocari potest, quam in parva planitie sub Lovrechio, non injucundo hujus Diœcesis Macarensis loco, qui Duarensi propugnaculo supereminens, et *Strigovo* ipsa ab antiquitate in hodiernam diem vocatus, a mari ad decem milliaria distat. Nec incongrua cuipiam videri debet ista Stridonis positio : nam in chorographica generali mansionum et expeditionum eremiticarum Tabula, quam in chorographiæ studiosi gratiam Clariss. Heribertus Rosweydus apud Viduam et filios Joannis Moreti anno 1615. curavit concinnandam, fol. 79. prolegom. 26. ipse meis oculis diligenter inspexi, Stridonem ab Salonis orientem versus trans alpes nostras Dalmaticis collocatam, decem milliaribus tum a mari distare, tum ab Dalmatia undequaque circumplexam deprehendi. Cæterum ad geographicos Dalmatiæ et Pannoniæ fines attendat oportet, qui hanc ipsam a nobis erutam historicam veritatem cupit assequendam. Titius ab occasu, ab oriente Naro, Ardiæi montes a septemtrione, quorum a Titio initium, tempore Divi Hieronymi Dalmatiam universam veluti circumplexam ab conterminis regionibus secernebant. Confinium ergo tunc temporis Dalmatiam inter et Pannoniam non aliud certe nisi ipsi Ardiæi montes. Citra Ardiæos Stridon, id est eo loci, de quo supra: deinde Stridon erat civitas etiam Episcopali dignitate illu-

Digitized by Google

illustris; nam Domnus Stridonensis Episcopus inter 318. Nicænos Patres unus omnium Dalmaticensium Episcoporum ejusdem Concilii Actis subscripsit. Miror, cur Clariss. Farlatus Illyrici Sacri tom. 2. pag. 4. affirmare minime dubitaverit, quod nullus ex Dalmatiæ Episcopis Synodo Nicænæ interfuerit. Stridon, cujus Episcopus Domnus inter celebres illos tercentos decem et octo Patres recensetur, nonne citra Ardiæos montes extitit, ac proinde intra Dalmatiæ fines, et extra Pannonios penitus?

His itaque de patria S. Hieronymi breviter perstrictis, non abs re futurum putamus pauca etiam de natali solo S. Helenæ Imperatricis Magni Constantini matris edissere, percupidi quidem luculentissimum monumentum Dalmatis nostris ob oculos ponere, ut veritatem historicam, de qua sæpius penes nostrates indigenas advenasque disceptatum est, perspiciant; juraque conterranea nostra, præsertim sacra, pro aris et focis tueantur. Hesychius III. nomine, Salonitanus Episcopus, vir summa doctrina inclytus, eximiaque sanctitate conspicuus, Zosimo Romano Pontifici, Augustino, et Hieronymo nostro Synchronus, auctor insuper vitæ S. Clementis pariter Romani Pontificis, documentis omni exceptione majoribus, scriptum reliquit, S. Helenam Brachiensem origine fuisse. Hujus operis, vitæ nimirum

S. Cle-

Digitized by Google

S. Clementis, duo exemplaria ab Simone Bengio Modrussensi olim Episcopo inventa sunt, quorum alterum penes se Simon retinuit, alterum Bernardo Zannio Spalatensi Archiepiscopo dono dedit, ut typis traditum lucem publicam aspiceret. Neutrum hucusque licuit invenire. Simon cum esset cupidissimus, idemque diligentissimus tum profanæ, tum sacræ antiquitatis investigator, multa in rem collegit, suaque manu descripsit. Ejus quædam collectanea MSS. extant exarata charactere Raphaelis Levacovich Archiepiscopi Acridani. Ex his nos præfatum depromimus monumentum, quod etiam in Illyrico Sacro Clariss. Farlati est reperire tom. 2. pag. 83. „ Sanctam Helenam (ait) Constantini „ Magni Imperatoris Matrem, e Bretanide (sic eo „ tempore Brachia hodierna vocabatur) in mari Illyri„ co insula, quam nunc Brettiam, et Brattiam voca„ mus, ortam esse, quod tabularum Salonitanæ Eccle„ siæ documentis ostendit (nimirum Hesychius). Unde „ nobis haud difficili argumento patiemur persuaderi, „ nominis potius Bretanidis insulæ Dalmatiæ similitu„ dine deceptos, quam Gallicani Nazarii panegyristæ „ loco inductos esse, qui Sanctam ipsam Britannam „ fuisse, primi scriptis in lucem editis evincere conati „ sunt “. Sed ne de viri auctoritate cuipiam dubium suboriatur, placet, quæ de eo Clariss. Farlatus præfato

Digitized by Google

loco scripsit, referre: „ Simon Bengius (inquit) Epi-
„ scopus Modrusiæ in Dalmatia, vir singularis ingenii,
„ eximiæ doctrinæ, prudentis sincerique judicii, vitam
„ Clementis Romani Pontificis ab Hesychio Episcopo
„ Ecclesiæ Salonitanæ conscriptam, ab se inventam,
„ illustri præconio commendat, et quædam scitu digna
„ indidem excerpta suis collectaneis inseruit.... an-
„ no 1513. in Concilio Lateranensi, sub Leone X. Pon-
„ tifice Maximo, Sess. 6. Orationem habuit gravissimis
„ verbis, sententiisque plenam “. Et tom. 4. pag. 111.
112. subjicit: „ Hanc Orationem typis evulgavit inscri-
„ ptam Bernardino de Frangipanibus Modrusiæ etc.
„ Comiti. Ejus opera non semel adhibita fuit in Con-
„ cilio Lateranensi; nam cum ex omni Patrum nume-
„ ro deligendi essent quidam Episcopi docti, et gra-
„ ves, qui coram Leone Pontifice agerent, de quibus
„ referri oporteret ad Concilium, decernique in Con-
„ ventibus Synodalibus; inter hos unus fuit Modrussen-
„ sis Episcopus (Simon Bengius videlicet); et præte-
„ rea cum id negotii datum fuisset octo Episcopis, ut
„ leges præscriberent *pro reformatione Curiæ, et Officia-*
„ *lium*, his adjungi placuit cum sex aliis *Reverendissi-*
„ *mum Dominum Modrussiensem*. “ De tanti ergo Viri
auctoritate in rem nostram quis unquam sanæ mentis
homo dubitare vel minimum audebit?

II.

Digitized by Google

II.

Ex tertia additione ann. 1802. n. 5.

VICTORI FAVI
SECVNDI
CONSPECTORI
EPAPHRODITVS
EIVSDEM

Marmor effossum in Viddo Naronæ anno 1802. Pro Favi, lege Flavii. Victor, et Epaphroditus Liberti fortasse erant Flavii Secundi. Sane monumentum amoris Epaphroditus erexerat forsan Conliberto suo Victori, ut ex cordis insculpta imagine licet colligere. *Conspectori*: idem sonare videtur conspectare, conspicere, videre. Acta SS. April. tom. 3. p. 75. de S. Senorina: *Nam ulterius nullum hujus generis in termino illo conspectatur entoma*. Glossar. Caroli Dufresne, et Ducange tom. 2. Pariter Conspector dicendus est, qui conspicit, inspector, qui inspicit, ut qui de opificiis, vel de rebus venalibus cognoscunt. Apud Suetonium in Cæs. cap. 86. inspectare sumitur pro custodire. Augures apud Romanos nunciationem solum habebant; Consules, et reliqui Magistratus etiam inspectionem. Cic. Phil. 2. c. 32. Vi-

Digitized by Google

32. Vide fusius apud Facciolatum verbo *Spectio*. Insuper, messem inspicere, idem est ac custodire, ff. l. 19. tit. 2. de locato et conducto: Labeo. Rathordus Hermannus Schelius in notis ad Hyginum de Castris Romanis, ad verba *ut portæ castrorum in conspectum rigoris*, hanc apposuit notam: „ Conspectus est, quod ex „ eodem loco recta linea normaliter conspici potest, „ sive una sive plures signorum conspectorum lineæ „ fuerint. " His ego plurimum permotus, arbitror Conspectorem in Castris Romanorum fuisse, qui istiusmodi munere, conspiciendi nimirum vias, signa, lineas, portasque castrorum, fungebatur.

De cordis insculpta imagine addamus pauca. Pro sinceritate animi cordis signum in primis esto. Siquidem pro eo homine, qui mentiri, aut fallere quempiam nesciat, et qui ex ore nihil ficti proferat; id est qui absque omni fuco, et mendacio ea tantum loquatur, quæ vere ex corde sentiat, cordis speciem, præter cætera ab antiquis accipi video. Hinc etiam aperto pectore, ubi cor sedem habet, loqui eos dicimus, qui sincere citra fucum, et fallacias loquuntur. Socrates ille proin fenestrata pectora mortalibus exoptabat, ut scilicet animi sensus, qui in corde residere dicuntur, aperti essent, ex quo uniuscujusque ingenuitatis insigne cor erat. Cor ergo in hoc Marmore Epaphroditi erga Victo-

Digitized by Google

ctorem sinceritatem ingenuitatemque significat. Epaphroditus Græcum nomen est.

III.

Ex secunda additione edit. ann. 1796. pag. 28.

L. AS lege *Libertabus*: estque fragmentum aliæ Inscriptionis, quæ insculpta erat in alia columella, cujus hic basim confractam licet conspicere.

En Lusium iterum commemoratum. Sed an Marcus, vel Cajus fuerit, an vero quis alius ex Lusiis, divinare non

non ausim. Hic habemus insuper Lucium Lusium Severinum, cujus Liberto Peligio Lusius in prima Marmoris, seu columellæ linea descriptus monumentum posuit.

IV.

Ex secunda additione edit. anno 1796. pag. 28.

L. I. AETILI
LIBER. P
EISDEM

In Viddo Naronæ hæc ipsa columellarum fragmenta jam ab anno 1795. eruta damus. Hujus sic interpretor Inscriptionis, quæ superfuit, partem: *Lucius Julius AEtilius Libertus Posuit eisdem.*

V.

Digitized by Google

V.

Ex Marmoribus Macarensib. ann. 1789. n. 15.

D. M.
LICINIA. PRIMA
ET. LICINIVS. GERONTIVS
CRESCENTI. CONIVX
ET. FILIVS. ADHVC. INTRE
PIDANTIS. AETATIS. PATRI
CVI. NON. LICVIT. INFANTI
AM. EIVS. AD. SVOS. ANNOS
PERDVCERE. PIO. ET. BENE
MERENTI. ET. OMNIVM
AMATORI. SVORVM. ET
AMICORVM. DIGNO. HVNC
TITVLVM. POSVERÄT

Elegans Marmoris istius Inscriptio auream Latinorum Scriptorum ætatem, qua monumentum positum fuisse patet, pulchre æmulatur, ita ut præ omnibus, quæ hujus ordinis in Dalmatia nostra effossa sunt, merito principem obtinere mereatur locum. Superioribus annis e regione plateæ Macarensis hujus urbis occidua, ad maris littus repertum in quondam Paulichievichiorum

Digitized by Google

rum domo conspicere gavisi sumus. *Intrepidantis* est latina dictio sane pulcherrima, atque in hæc tempora prorsus ignota, quam ne Forcellinus quidem refert. En Lapidariæ studium etiam Latinæ linguæ valde utile.

VI.

Ex Marmor. Macaren. ann. 1789. *n.* 14.

D. M. S.
PVL. CRÆT
VRSVS PAR
VIPERINO
FILIO PIEN
TISSIMO
POS. BM
SIB. ET
SVIS

Marmor etiamnum perstat in Ædibus Martich in Metcovichio Naronæ oppido. Duplex hæc sigla PVL. CRÆT. ex testimonio Aurelii Victoris legenda omnino est: *Pulvis Cretus*. Adjuncta diphthongus puto, quod Quadratarii vitio irrepserit. *Pulvis Cretus* idem sonat ac cribratus, seu purgatus. Hinc patet Viperinum nobilium Romanorum more sepultum; horum namque ossa, a cremato cadavere, colligebantur, cineresque cribrabantur, ne scilicet ossium frustula una simul cum car-

Digitized by Google

carbonibus confusa sepelirentur. Sigla D. M. S. leguntur: *Diis Manibus Sacrum*. POS. BM. interpretare: *Posuit Benemerenti*.

VII.

Ex prima addit. ann. 1793. n. 6.

D M
M. ALLIVS
FRMNVS
VRSNO F.
C. SEPTM
CARPOPO
RI DEL CA
TO. NFELI
CISSIMO
NAVFRAGIO
OBITO. AN. XI
CVIVS MEM
BRA CONSVVI
ST MRIS PER
SEQ VOT NOMEN
TVLVS PRÆSTA
SVISQ DOLO
REM.

Mar-

Digitized by Google

Marmor hocce, pulcherrimum sane, debes, Lector, curæ et sollicitudini Presbyteri Jacobi Banovichii Cochiæ incolæ primum loci *Baska-Voda* dicti, nunc Curati in Slivno Naroniensi, mihique consuetudine et familiaritate conjunctissimi. Hic votis meis obsecundans idem Marmor in *Baska-Voda* e terra fortuito erutum ad me mittendum curavit, prout superioribus annis pari sollertia se gessit, cum alia duo inter Marmora Macarensia mea fol. 26. recensita Macarscam transmisit. Utinam unum aliquando, quod antiquum loci nomen ostendat, detegatur! Detegeretur illud quidem, sicut et alia etiam illustriora Romanæ Antiquitatis monumenta, si Dalmatiæ nostræ sors obtigisset, plures inter incolas suos Jacobo Banovichio præfato similes habere viros, qui, ut ipse assolet, conquirerent istiusmodi omni auro pretiosiores vetustatis memorias, servarentque. Verum quis hucusque torpor! Quæ incuria! Quinimo, quanta unquam aversatio!..... Memini me in Marmoribus Macarensibus meis scripsisse fol. 27., locum ipsum *Kinkium*, seu *Innaroniam* antiquitus fuisse appellatum. Fateor quidem me velut manu tentasse, quoties de loci hujus vetusta appellatione scribendum occucurrit. Sed si in tenebris constituto facem præferre potest Peutingeriana Tabula, Oneum potius quam Innaronia *Baska-Voda* nuncupanda videtur, quia memoratæ Au-

ctor

Digitized by Google

ctor Tabulæ Peguntium inter, seu Alminium (vulgo *Almissa*), et Macarscam, Oneum collocatum exhibet; Innaroniam autem supra Civitatem hanc meam orientem versus constituit. Jam vero ad Marmor nostrum considerandum revertamur. Quot unquam in eo pulcherrimæ siglatice scribendi notæ! In ejus lectione nihil profecto est, quod obscurum occurrat. Litera P. O. consepulta planctum forsitan indicare dicenda est? Hexametro Versu quasi clauditur Inscriptio: *Vota, Nomen, Titulus præstat, suisque dolorem. Marcus Allius* ex Allia gente Romana, plebeja ante tempora Augusti Cæsaris, consulari illa quidem. Alliam gentem eandem esse cum Ælia, sive Ailia, ex Capitolinis monumentis aperte satis intelligitur, ut est apud Grævium tom. 7. Thesauri Antiquit. Romanarum: et licet Plebeja fuerit, antiqua tamen maximisque gestis Magistratibus nobilis: nam consularibus viris, et duobus censoriis, ac duobus, qui Magistri Equitum fuere, floruit. Ex eadem postea Imperatores extitere P. Ælius Hadrianus, T. Ælius Antoninus Pius, L. Ælius Aurelius Commodus, Cæsar vero tantum L. Ælius Hadriani filius, L. Aurelii Imperatoris Pater.

Digitized by Google

VIII.

Ex secunda additione ann. 1796. in fine.

D. M.
ALLIA· M· A·
P. ⌜ECONIA· C· T
IM⌜E· P·

Anno 1796. Marmor hocce erutum ex pervetusto Romanæ antiquitatis Sarcophago, in *Oneo* Peutingeriano, seu *Verulia* Porphyrogeniti reperto, cæteris hisce Marmoribus superaddere putavi, ne depereat. Habes in eo quo facilius, Lector, ALLIAM gentem vetustissimam nobilissimamque cognoscas. De Marco Allio Firmino paulo superius breviter sermonem fecimus. Perspicis in hoc Marmore ALLIAM filiam Marci Allii, sororem vero Septimii Carpopori, eidem Marco Allio Patri titulum posuisse. Etiam nomen deprehendis TECONIÆ Marci Allii Conjugis, quæ forte senectutis, vel ægritudinis pavore perculsa timebat, ne citius quam cupiebat, marito mortuo copularetur.

IX.

Digitized by Google

IX.

Ex prima addit. ann. 1793. *n.* 5.

D. M.
V. MAX. ET C. VERA
CVM. DOLVM TANTVM
HABERENT DE VALERIO
DELICATO QVAMVTFI
LIO INFELICISSIMO IV
VENI. D. ANN IIIIII
DVNC DOLVM HABE
RET. C. VENDE
MIA DE MARITO VALE
RIO ET SOCERO. PP.
TITVLVM POSVIT

Etiam hoc Marmor fuit in *Baſka-Voda* effossum anno 1793. Quadratarii oscitantia putandum videtur irrepsisse in hoc Marmore QVAM pro CVI, et DVNC pro CVM. DOLVM per syncopem scriptum, lege DOLORVM. Habes hic numerum X. hoc *I.* signo insculptum, quod mihi novum omnino. Primo quidem intuitu sensus dictionis inordinatus apparet, qui tamen planus profecto fiet, cum lector animadverterit, tempus

Digitized by Google

defunctionis Valerii Delicati, filii Valerii Maximi, et Cajæ Veræ, secernendum esse abs tempore, quo Caja Vendemia Valerio Delicato marito, et Valerio Maximo socero perpetuum titulum posuit. Vita enim fruebatur Valerius Maximus cum contigerat mors infelicissimo filio suo Valerio Delicato, quem uxor hujus C. Vendemia sepulcrali hac memoria non prius dignum judicavit, quam socerum Valerium etiam defunctum marito suo superposuit. Delicatum, ut in præcedenti Marmore n.° 7., hic iterum repetitum habes. Scripseram anno 1793. sic in rem : „ Variam hæc vox apud Anti- „ quos obtinet acceptionem. Nam delicatus idem so- „ nat ac plenus deliciis, lenis, et amœnus. Insuper De- „ licati, et Delicatæ olim dicebantur Concubini, et „ Concubinæ (velut nimirum in deliciis habiti). Vete- „ res tamen, Festo teste, delicatus, pro dedicatus di- „ cebant, more tunc recepto l. pro d. usurpandi. In „ utroque igitur Marmore delicatum, pro funeris reli- „ gioni obstrictum accipe, si sic placuerit. Hinc pa- „ tet, in id maxime operam dedisse Veteres, ut sibi „ suisque de sepultura providerent, nec aliud mor- „ tis genus magis exhorruisse, quam ex naufragio, „ vel pœnæ loco, sepultura carere; maximumque hi „ adhuc ipsi reputavere piaculum, inhumata, quæ ad- „ spexissent cadavera, vel lapidibus, vel glebis saltem

„ non

Digitized by Google

„ non tegere : quo de ritu Virgilius Æneid. VI. 364. „ Horatius Od. 1. Petronius C. 114. aliique dixere. Si „ Lycurgi lex Romanos tenuisset, non liceret quidem „ eis mortuorum nomina lapidibus consignare, nisi aut „ virorum, qui bellantes in gladio cecidissent, aut mu- „ lierum, quæ sanctimonia præfulgentes ex hac luce „ migrassent." Nunc vero abdita ipsa Antiquitatis paulo ulterius pervadens, *Delicatum* cognomen esse familiæ arbitror vel ex eo, quod extare comperi apud Grævium in Thes. Rom. Antiq. tom. 5. pag. 654. Marmor relatum ab Justo Lipsio de Vesta et Vestalibus sic :

D. M.
TEIÆ EVPHROSINES
RVFINÆ V. V.
DELICATÆ.

X.

Ex prima additione ann. 1793. *n.* 4.

D . M . S .
CLVDIAE INGE
NVAE. ORATIVS
VIVIANVS. VXSORI
B. M. FE SVIS. FECIT.

Digitized by Google

In Viddo Naronæ effossum hoc Marmor accipe hic exscriptum, Lector humanissime. Habes in Sigla V, A et V simul compactum, et in E, E ac T perbelle conjunctum. Hoc habere me in votis quam maxime fateor, ut deperditæ scribendi compendiose artis scientia pristino antiquo splendori tandem aliquando restituatur. Hominem literarum amore captum nihil magis excruciat, quam dum scriptioni vacat, velocissimos suæ mentis conceptus et verba, uno, ut ita dicam, actu et signo non posse simul exprimere. Scripsimus jam ad Lectorem paulo superius in eadem hac Opella nostra Ciceronem fuisse, qui primus siglaticæ artis auctor extiterit. Rem uberiori narratione hic loci eloquamur. Itaque Cicerone Consulatum agente contigit, ut cum Cato Uticensis in Senatu dicere in Silanum, et in Cæsarem statuisset, navos Cicero emunctæque naris viros quosdam seligeret, qui ab eo nonnullis receptis siglis, vim plurimarum literarum habentibus, Catonis omnia et singula verba tabulis pari, qua dicebantur, celeritate mandarent : quod felici quidem eventu peractum, artis tam sublimi partæ ingenio ad summam posterorum utilitatem initia sacrata reliquit. Eam multi pariter Christianorum primis Ecclesiæ sæculis callebant, ut ex quibusdam sinceris SS. Martyrum Actibus ad nos usque artis hujus adjutorio transmissis fit satis perspicuum.

Digitized by Google

cuum. En igitur hanc ipsam scribendi rationem etiam in Christianæ Reipublicæ utilitatem derivatam. Plura sane hujus eximiæ artis mysteria erudito Lectori nostro hæc ipsa Opella suppeditat.

XI.

Ex Marm. Macarens. ann. 1789. *n.* 12.

SC. . . . . .
. . . .
FLORINI . . . . . .
VET. LEG. XI. . . . . .
TESTAMENTO I. .
. . . . IVSSIT. H. S.
IN FRONTE P. ❩...
IN AGRVM. P.....

Lapis effossus est in Imothensis agri perpulchra planitie penes fluvium *Verlikam* in loco, quo nunc Beatissimæ Virgini Mariæ extat dicata Ecclesia. Modo adservatur Imothæ in Vuçemillovichia domo. Habes hic nobilioris Romanæ familiæ Floriniæ cognomen; dolendum tamen prænomen, nomenque fuisse vetustati ipsamet vetustate sublatum. Marmor legendum arbitror: *Florinius Veteranus Legionis XII.*, aut *XIII*, vel *XIIII.*

Digitized by Google

Testamento fieri jussit hoc sepulcrum. Prima Marmoris sigla prænomen forsitan exprimebat. *In fronte pedis, in agrum pedes* quid? Secundum viam sepulcra olim constitui solita nemo ignorat. Certum pedum numerus, quo agri, vel campi, ubi sepulcra statuebantur, spatium definitum erat. Vetabat Plato, ut refert de Legibus secundo libro Cicero, ex agro culto, eoque qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro : sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora, sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur; quæ autem terra fruges ferre, et ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus. Atque hinc orta agri, vel campi sepulturæ dimensio. *In Fronte* nihil aliud est, quam *a fronte:* frons enim sepulcri intelligitur, quæ vel viæ publicæ propinqua est, vel viam ipsam respicit. In Antonini Itinerario habemus Stationem *Ad Novas*, seu *Novensem*. Fortasse penes hujus sepulcri locum eadem extabat publica Romanorum via, quæ *ad Novas* ducebat. *In agro* nil aliud designare crediderim, quam eam sepulcri partem, quæ agri solum occupabat, ut scilicet, *in Fronte* latitudo demonstretur, *in Agrum* ædificii ambitus. Brevius: *in fronte*, partem sepulcri anteriorem, *in agrum*, posteriorem intellige. Nec audiendi tibi, Lector, ii sunt, qui sigla *in* agr., *in front* in-

Digitized by Google

interpretantur *in agro*, *in frontem*, nam Horatius Grammaticalium legum cultor eximius sic ait: *Mille pedes in fronte*, *trecentos cippus in agrum Hic dabat etc.* illic enim status, hic motus quodammodo, juxta Grammaticorum normam, agnoscitur. Aptius ergo castigatiusque leges: *In Fronte*, et *in Agrum*, ut etiam Marmor ostendit.

XII.

Ex Marmor. Macarens. iisdem n. 16.

D. M.
FIRMINE
INFELICII
NCÒNPAR
ABILIVXSO
RI VICTOR
POSVIT
B. M.

Quadratarii oscitantia frequens est in Marmoribus diphthongorum omissio. *Incomparabilis* argenteæ ætatis vocabulum a Plinio, et Quintiliano usurpatum, et in lapideis monumentis sæpissime expressum, ut cujuspiam excellentia aut moribus, aut factis comprobata indicetur, ita et apud Italos Etruscos *incomparabilis lætitia* dici-

Digitized by Google

dicitur, idest *ingens*, *summa;* et Quintilianus l. 1. Instit. cap. 2. *Præstet alicui, ut doctissimum, atque incomparabilem,* idest excellentem, *magistrum domi habeat.* Radix vocabuli hujus est, *id, quod emi, comparari, parari nequit:* nulla inde odiosa comparatio.

XIII.

Ex iisd. Marmorib. n. 17.

D. M.
AVRMES. SILLA.
FILIO. INFELICIS
SIMO. SVO. QVI.
VIXXIT. P. M.
AN. III. AVRMES.
FILIA TITVLV
M. POSVIT.

Hoc, et præcedens Marmor sub n.° 12. penes publicam viam in *Baska-Voda*, ex ruris *Bast*, et aquæ salientis *Voda* Illirice composito nomine dicta. Locus non semel in hac Opella a nobis repetitus, ad sex milliaria Macarsca occidentem versus distans, mœnium antiquorum reliquiis etiamnum exornatur, Romanorumque Numismatum cujuslibet metalli, satis abundans copia ex

Bo-

Digitized by Google

Baskæ-Vodæ solo et ruderibus prodivit. Diximus hæc eadem Marmora penes viam publicam fuisse reperta, pro veteri Romanorum more, qui, teste Varrone, sepulcra etiam monumenta, vel monimenta appellabant, ut scilicet prætereuntes admonerent, se fuisse, et illos esse mortales. Hinc Latina, Nomentana, Appia, Flaminia, cæteræque extra Romam viæ sepulcralium fragmentorum plenæ conspiciuntur. Sigla P. M. lege *Plus Minus*. Utrumque Marmor anaglyphorum varietate intextum, in secundi summitate parva pueruli, stola quadam circumdati visitur statua; nisi dicas hanc fuisse matronarum vestem; qua vero pueri ingenui utebantur, prætextam malo nuncupari, quæ toga alba erat, purpureo prætexta limbo.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

Ex Marmoribus iisd. n. 18.


POMPONIO STERCORIO IN
FANTI INFELICISSIMO

NON CLAVSA IN
TUMVLO REQVIES
CVNT OSSA SEPVL
CRO. ISTIVS NV
NC INFANTIS NEC
CORPVS MORTE
SACRATVM

Confractus Lapis hic, in Viddo Naronæ inventus, nihil præter detrita admodum sigla in fine præsefert. Plures ex doctioribus Macarensibus conati sunt inscriptionem legere, sed frustra omnino. Egomet ipse inutili fessus lectione sæpe sæpius cæpto destiti. Tandem summa patientia comite, voti compos factus sum. Quid de Pomponii Stercorii infantis corpore actum fuerit, veluti quodam proposito ænigmate, responsione, quam majori quidem diuturniorique improbo labore detexi,

Digitized by Google

texi, fit satis. Disrupta igitur sigla in ima Lapidis parte sic poetice lego: DESTITIT VSTVS. Inscriptio hexametro carmine incipit, Adonio clauditur. Versus, *Istius nunc infantis nec corpus morte sacratum*, una abundat syllaba, qui idcirco Hypercatalectus, sive Hypermeter vocatur. Eo Virgilium passim usum esse deprehendimus: inquit enim Æne. 8. ver. 228.

Ecce furens animis aderat Tirynthius omnemque.

Et alibi: *Et magnos membrorum artus, magna ossa, lacertosque Exuit...*

Jamque iter emensi turres, ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes....

Et Georgic.

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem.

Habes hic Pomponio ignibus absumpto cenotaphium extructum, cujus inanis tumuli usum adinvenit superstitiosa veterum opinio, qui credebant defunctorum animas, si honore sepulcri carerent, stygiam paludem tranare non posse. Unde ab sacerdotibus profanis inventum est hocce genus exequiarum, quod terræ injectionem vocabant: ut etiam iis, qui incendio, aut naufragio periissent, aut quorum corpora haberi non possent, justa persolverentur. Tumulum itaque ex cæspitibus,

aut

Digitized by Google

aut alia materia congerebant, ubi absente defuncti cadavere, tanquam præsente, sollemni quodam ritu exequiæ peragebantur. Hæc scripseram anno 1788. Cum ecce anno 1802. tumulum in eodem loco, ex quo marmor effossum est, tandem aliquando reperire licuit. Ejus nos formam scriptis nostris posteritati transmittimus, ut sic magis magisque Romanorum Antiquitates illustrentur. Pila lapidea ovalis atque oblonga fuit sesquipedis altitudine, quæ lapideo operculo quam optime clausa, ferroque ac plumbo tribus in locis constricta, vas vitreum ovalis pariter formæ, ac plumbea contectum lamina, plenumque semiustulatis ossibus repletum nobis dedit inspiciendum. Portatile istiusmodi antiquissimum sepulcrum simul cum vitreo vase, et ossibus Pomponii infantis Macarscam ad nos transferendum curavimus, ac debito infantibus etiam sine baptismo decedentibus honore, sub Marmore supradicto reposuimus, ut quiescant ossa humana donec optata extrema dies mundi, et judicii divini advenerit, quæ ex Christi sententia hos quoque infantes debito eis loco, vel alio, pro divinæ bonitatis, et providentiæ ratione, statuet sive ad tempus, sive perpetuo ibidem mansuros.

In hoc etiam Marmore cor conspicitur insculptum, atque ardoris ignes ex se veluti emittens. Atque ex hac nostra satis perstricta Marmorum collectione eruitur plus-

quam

Digitized by Google

quam apertissime, Antiquos cordis symbolo excoluisse deos, ut Jovem Sulpicius Calvio sub n.° 15. Marm. Votiv.; homines, ut Æquenses Municipes sub n.° 1. Marm. Affect., et Epaphroditus sub n.° 2. eorumd. Marm.; defunctos, ut hunc infantem Pomponium Stercorium. Platonici, quorum opinio fuit, justitiam esse quandam animæ propriam actionem, ei locum circa cor attribuunt. Hujusmodi igitur imagine, qui sepulcra statuebant, eos, quibus monumentum constructum esset, sinceros, puros, veridicos, recte consulentes, dum iidem viverent, fuisse, forte indicare malebant; vel se ex corde, vereque illis parentare, justaque peragere, perhiberi. Vel nos cor animi vere nostri receptaculum esse, ex veterum Philosophorum sententia dicamus, ut antiquorum Romanorum spiritu cordis symbola cum eis interpretemur. Fieri quoque potest, ut illo cordis symbolo significarent, vita perfunctum adeo illis jacturæ fuisse, ut illius obitu animam sibi omnino e corde divulsam sentirent. Nam quem nos carissimum habemus, nobis illum cordi esse; modo cor, vel corculum; modo animum, sive animulam, sive animi dimidium nostri appellamus. Plena sunt locutionum hujusmodi Scriptorum monumenta. Hinc in sepulcris *Carissimo*, et *Carissimis Posuit*, frequenter legimus. Vel tandem nos omnino ad animum transferamus, variis curis, ac solli-

Digitized by Google

licitudinibus undequaque, ob parentum, fratrum, amicorum, vel propinquorum interitum, exulceratum. Quod quidem Pomponii infantis parentibus valde congruere fit perspicuum. Ex hoc eodem Marmore innotescit insuper antiqua Stercoria Romana Familia, quam nos primi forsan oblivioni subtraximus.

XV.

Ex iisd. Marmorib. n. 19.



Prolosatium Imothense oppidum nobis hoc Romanæ Antiquitatis tribuit monumentum. Locus nunc Prolosatio lacui ad orientalem insidens plagam, turribus et pro-

Digitized by Google

propugnaculis quondam munitissimis undique vallabatur, quorum ædificiorum etiamnum perstant reliquiæ non contemnendæ. Verum quod impræsentiarum Prolosatium maxime tutatur et ornat, quattrifornicatus est pons, antiquitate, Romanæque architecturæ elegantia et firmitate satis celebris. Etenim centum pedes habens longitudinis, latitudinis vero septem, duo medii arcus foramina 13. pedes altitudinis, et duo a latere fornices, singuli 10. pariter altitudinis obtinent pedes. Dum pluviarum niviumque magna cadit redundantia, aquæ ex proximis montium jugis in unum coactæ volumen, rapidum sane confluentem conficiunt, qui Prolos-tium veluti transiliens pontem, Imothensis agri planitiem satis amplam magna ex parte inundat. Sigla B. M. P. lege: *Benemerenti posuit*. In Marmoris summitate insculptam figuram, antiquorum Asciam esse scias. Fabri lignarii instrumentum est, quo fabricæ materiæ dolantur. Monumentum ipsum indicat fuisse sub Ascia dedicatum.

Digitized by Google

XVI.

Ex iisd. n. 20.

D. M.
AVRELIVS FELEX
POSVIT TITYLVM
COMPARI SVÆ SERCIÆ
MAXIMÆ IVNIAE VITA
FVNCTÆ ANORVM XXXX
CONIVX CARISSIMA MECVM
FECIT ANNO XXI.

Marmor effossum est in Castro Podgoræ hujus Diœcesis. C. pro G in pluribus ex antiquissimis Latinis monumentis vulgo usitatum. In hujus igitur Inscriptionis lectione supple *Sergiæ* pro *Serciæ*, et *Annos* pro *Anno*. In priori ejusdem Marmoris editione ann. 1789. extant utriusque Conjugis imagines ære impressæ, easque ad vivum exprimentes, quæ in Marmore insculptæ reperiebantur.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Ex iisdem Marmorib. n. 21.

D. M.
AVRELIO V'E
VRIO. DEC. M
VNIC. NOVEN
SIVMDEYVNC
TO. ANN. XXX.
AVREL. V'EVRI
A YRATRI. PI
ISSIMO P.

Zaostrogii celebri quondam oppido, quod Macarsca nostra orientem versus ad duodeviginti milliaria abest, hoc, et subsequens Marmor repertum est, et utrumque ad præsens etiam in Curata S. Barbaræ Ecclesia adservatur. Sigla DEC. MVNIC. interpretor *Decurioni Municipii*. Ergo *Aurelius Veturius* Decurio erat Municipii Novensium. Decurio in Romana Legione erat, qui decem præerat equitibus. In Municipiis Decuriones eadem fulgebant dignitate, qua Senatores Romæ, eorumque decretum jus idem obtinebat, quod Romæ Senatusconsultum. Habes in eodem Marmore F literam sic Y iterato

Digitized by Google

rato efformatam, ex qua facile erit deprehendere rationem istiusmodi sigla de cætero interpretandi, quod novum omnino. Quod vero ait *Municipii Novensium*, intellige, superius a nobis commemoratæ Novensis Civitatis, summum ibidem, præclarum ac singulare Municipium extitisse. Plurimum se debere agnoscat Salonitana, et Macarensis Ecclesia duobus hisce revera pretiosis Marmoribus, quæ omnino deperditæ Novensis præclaræ olim urbis primam faciunt mentionem; sicque vera pariter ac sincera fuisse Acta antiquissimi Provincialis secundi Salonitani Concilii sub Honorio juniore, item III. Salonitano Episcopo XXXVIII. evincuntur adversus Joannem Lucium Traguriensem; et Episcopalis Macarensis Sedis in eodem Concilio factam institutionem: quod quidem Lucio ipso improbatum, quippe qui in suis additionibus ad monumenta historica Tragurii plus justo nimia severitate non solum ejusdem Concilii Acta ficta et suppositicia esse edixit; verum etiam Clarissimum Ughellum admonitum in suam sententiam perduxit. Temporum illorum calamitatibus in Dalmatia frequentissimis factum agnoscimus, ut quæ circumferebantur ejusdem Concilii Acta, ea fœdum in modum deformata ad nos usque fuerint transmissa. Hinc Lucius ea reformare, non vero improbare omnino, atque apochrypha, ficta, et suppositicia declarare debuerat, quod quidem

Digitized by Google

dem haud paulo severius, quam cautius judicavit. Ab istiusmodi acri ferendo judicio in Dalmatica vel ipsa vetustate sacratissima Monumenta Ecclesiastica, deterrere Lucium poterat ipsamet chronologica nota Actis ejusdem Concilii præfixa sic: *Post iterum atque iterum Lampadi, et Orestis*, idest *post Consulatum Lampadii, et Orestis anno secundo*. Nec magis probatur nobis Clariss. Farlati in rem scribendi ratio, qui vocabula topographica sic dolet in Actis ipsis deformata, ut ne vestigium quidem illorum reperire dicat sive in antiqua, sive in recenti Geographia Dalmatica. Quid ei opus erat foris quærere, quod intus habebat? Tum Lucio, cum Farlato recurrendum erat ad doctiores Dalmaticos, præsertim vero Inscriptionum Lapidarium Collectores, qui profecto plures fuere, atque vocabula ipsa manuscripta topographica, quæ utrique depravata visa sunt, cum iis, quæ Inscriptiones exhibebant, conferre; sicque nec Lucius Acta ejusdem Concilii supposititia, nec Farlatus vocabula ipsius topographica fœdum in modum deformata scripsisset. Igitur diligentiam, quam uterque omisit, nos adhibuimus; idque assecuti sumus, quod in votis habebamus. Hæc sunt ipsissima Concilii II. Salonitani verba in rem nostram: *Statuimus observandum, ut in Sarsenterensis Episcopatus, basilicasque in Municipiis de Lontino, Stantino, Novense etc.* En trium Municipiorum antiqua

Digitized by Google

nomina, præcipue vero Novense, quod nostra præfata duo Marmora commemorant. Sicut ergo extititerat quondam Novensis Civitas, de qua Geographorum nullus ne verbum quidem; ita etiam extare poterant, quinimò reipsa extitere etiam alia Municipia, ut *Lontinum*, et *Stantinum:* quæ quidem vetustarum Civitatum, quæ penitus interierunt, vocabula, nec supposititia, nec depravata sunt omnino appellanda. Deinde: ut eorumdem Actorum II. Salonitani Concilii veritas magis magisque comprobetur, sciendum, quod inter cætera ab eodem sancita Concilio, legitur in Mucuritanum Episcopum tunc primum institutus Stephanus Salonitanæ Ecclesiæ Presbyter. Hic itaque Episcopali auctus dignitate, ad regendam commissam sibi urbem pervenit, primam Cathedralem Ecclesiam in planitie, quæ nunc perstat apud Ecclesiam S. Philippi Nerii, ædificavit. Hujus sacri ædificii reliquias nos ipsi non semel inspeximus, areamque contemplati sumus. Verum in satis miserando civitatis nostræ interitu, qui accidit anno 544., omnia simul interierunt, ipsaque Episcopalis Ecclesia funditus eversa fuit; ex cujus ruderibus Stephanus Blascovich Macarensis Episcopus, dum præfatam S. Philippi Nerii ædificabat Ecclesiam, Marmor extraxit, in quo sic reperitur scriptum:

✠ STE-

Digitized by Google

✠ STEFANUS ✠ EPISCOPUS ✠ (*)

Marmor hocce etiamnum visitur in extimo ejusdem Ecclesiæ muro, Septentrionem versus. En igitur ex ipso hoc Marmore probata veritas atque sinceritas Actorum II. Salonitani Concilii adversus Joannem Lucium, qui *ea omnia ficta et suppositia* dictitabat.

Animadvertat nunc eruditus Lector, quantæ utilitati sint tum Geographiæ, tum Historiæ præfata duo Marmora Novensia, atque hoc ipsum Macarense, licet sexti tantum sæculi.

(*) *Ad posterorum memoriam dignum ducimus Episcopis Macarensibus, de quibus in Catalogo Præfationis nostræ historico-Criticæ fol. 9. 10. 11. præmissæ Operi pariter nostro, cui titulus :* Edicta, Sanctiones etc., *interserere Matthæum nomine, cui locus sit inter Joannem II. et Franciscum I. Macarenses Episcopos, quem in Schedis quibusdam authenticis paulo ante licuit comperire. Atque hæc quidem sunt protestatio quædam Chotæ cujusdam Monialis S. Nicolai Tragurii electæ Abbatissæ, coram Matthæo Mucurensi, et Dalmianensi, Vicario Archiepiscopi Spalatensis.* Vide Illyric. Sac. P. Farlati tom. 4. pag. 396.

Digitized by Google

XVIII.

Ex iisd. Marmorib. n. 22.

D. M.
VISELLIAE PAVLINAE
.... LIA MARCELLINA
.... TRI CARISSIMAE. P.

Quod ad secundum hoc Zaostrogense Marmor attinet, deletas in eo literas sic melius censeo supplendas.... LIA, *Visellia*, ...TRI, *Matri*. P. *Posuit*. Plutarchus scribit, viris tria, mulieribus duo apud Romanos nomina fuisse. Prænominibus mulieres Romanas usas esse, neque in Livio, neque in Dionysio reperitur. Consulenda est in rem Josephi Castalionis Jurisconsulti, adversus feminarum prænominum assertores, erudita disputatio, apud Grævium tom. 2. pag. 1057.

XIX.

Digitized by Google

XIX.

Ex tertia additione n. 6.

D. M.
L. POMP. VRSO IIIII
VIR. ANN. XLV. MAR
ITO. B. M. TERENTIA
DAFINE. VXOR. CVM.
ANN. XXV.

Marmor eruderatum in Viddo Naronæ. Ursi nomen superius a nobis commemoratum fuit sub n.° 6., ubi etiam Viperini filii sui, ante patrem fato sublati, nomen insculptum reperies. Nunc disce ex hoc Marmore Ursi Seviratus dignitatem. Seviri in Municipiis, Coloniis, Præfecturis appellabantur Magistratus, cum sex scilicet collegæ curiam administrabant; ut IIII Viri, cum quatuor, duumviri, cum duo. *Cum enim*, ait Pitiscus, *eadem horum omnium inter suos esset dignitas, munus, et onus;.... et quemadmodum duoviri vel alternis mensibus, vel altera anni parte ad clavum sedebant; sic Seviri annum ita partiebantur, ut vel singuli duobus mensibus, vel quaternis vicissim mensibus bini jus dicerent.* Ex pervetusto marmoreo Naroniano Bissellio clare colligitur, duos per sin-

Digitized by Google

singulas vices Seviros Naronæ sub Romanis Magistratum gessisse. Bissellium vocabatur antiquitus a numero duorum, qui summum locum in Municipio, aut Colonia tenebant : quibus duplex Sella, aut duorum capax statua, ut insigne Magistratus, et potestatis tribuebatur. Vide Marmor Pisanum de Honore Bissellii apud Grævium tom. 7. pag. 2166. De hoc eodem Naroniano Bissellio nos sermonem fecimus in Marmoribus nostris Macarensibus fol. 36. sic :

..... VIR .....

„ In ædibus Taslachianis, in Viddo Naronæ. Paucis „ ab hinc annis in perampla et amœna planitie vetustæ „ Naronæ prope flumen detecta fuit nobilissima Sella „ Pario e Marmore elaborata miro opere ; pedes quatuor altitudine, sex latitudine æquabat, duobus homi„ nibus continendis apta ; scabellum marmoreum eidem „ subjectum, et affabre exsculptum : in postica vero „ parte inscriptio legebatur literis grandioribus expres„ sa. Rarum hocce monumentum incolarum barbarie „ illico in plura ac minuta frusta diffractum ita fuit, „ ut partes hac illac dispersæ nullo modo coaptari am„ plius queant, et e fragmentis per oppidi tuguria dis„ jectis, unum hoc est, et informe, quod exhibeam. “

XX.

Digitized by Google

XX.

Ex tertia addit. n. 1. *inter Marm. Naroniensia.*

P. PVBLICIVS
PITYCHICVS
SI. VIVO FECIT SIL...
FILIS SVIS P. PVBLIC...
RESTITVTO. ET. P. PV...
CIO.....

Sigla P. lege, si placet *Plancus*, vel *Publius*. PV.... CIO interpretor *Publicio*.

XXI.

Ex ead. addit. n. 2. *inter Marm. Naroniensia.*

MARTVRIVS
MEMORIAM
SIBI FECIT

Marmor in summitate circulum insculptum præfert; estque æternitatis symbolum. Memoriam sibi facere apud Romanos dicebantur, qui viventes sepulcra sibi parabant.

XXII.

Digitized by Google

XXII.

Ex ead. addit. n. 3. inter Marmor. Naroniensia.

D . M . S .
TI. CL. METRO
DORVS. SIBI. ET
SVIS V. F.

Sigla TI lege *Tiberius*, vel *Titus*. CL. interpretare *Claudius*, vel *Clemens*. V. F. dic *Vivens Fecit*.

MAR-

Digitized by Google

MARMORA INSCRIPTIONUM

PUBLICARUM.

I.

Nunc primum edit.

CIVI. IVS. MP.

Eruderatum pariter in Viddo Naronæ Marmor hocce pretiosissimum, quod sic est legendum : *Civitati Jus Municipale*. En aureum atque perelegans Romanorum Decretum, quo Naronæ Municipium fuit datum. Municipes ergo Romani fuere Naronienses nostri, non Coloni, ut Ptolemæus et Plinius scripsere. Jus Municipale, jus illud præclarum quidem ac nobilissimum ! eo quippe Naroniani nostri donati, Civitatis Romanæ compotes facti sunt. Mos sane a Romulo ipso traditus, postea sæpissime usurpatus. Primi omnium Municipes Cærites fuisse feruntur, quos ob pie casteque custodita bello Gallico Romana sacra, Civitatis Romanæ honore affectos accepimus. Hinc haud dubium putamus, quin Naroniani nostri ob eorum præclara in Romanos facinora jus idem fuerint consequuti. In Marmoris superficie humanum visitur caput ore hianti, pilisque intortis labii superioris. Arbitror præconis figuram indigitare.

II.

Digitized by Google

II.

Nunc primum edit.

PRAETORIVM
CONLAPSVM
. . . . . .
BVRNISTAE

Marmor effossum anno 1802. in angulo australi urbis Scardonensis, extat ibidem. Desunt aliqua Inscriptioni verba, sed in Marmore sunt quidem omnia. Bis exemplar expostulavimus; at nullum nobis responsum datum. Marmor inspeximus, verborumque tantummodo, quæ hic exscribimus, recordamur. Frustulum qualecumque in lucem edimus, ut de antiquissimæ urbis Burni loco Lectorem moneamus. De eo Geographi valde solliciti digladiabantur ad invicem. Ex Plinii, Ptolemæi, et Harduini testimonio, Liburniæ Oppidum fuit, quod et Marmor ipsum videtur demonstrare. Sed ubi inventum, ibi Burnum omnino non extiterat, aut Scardona alio transferenda. Marmor parvum e Burni ruderibus antiquis potuerat illuc commigrare. Ergo de Burni loco præcise nihil, cum ejusdem Marmoris translatio tam citra, quam ultra Titium amnem evenire potuerat.

MAR-

Digitized by Google

MARMORUM FRAGMENTA

QUÆDAM.

I.

GVTINA
CENORA
.....
.....

Omnia hæc fragmenta in Viddo Naronæ collegimus, uno tantum excepto, de quo infra. In hoc plures desiderantur literæ siglaticæ: et licet desit sigla D. M., idest *Diis Manibus*, tamen emortualis Marmoris frustulum est, cum in superiori parte rosa perbelle insculpta conspicitur, quæ a Romanis in funeribus adhibebatur.

II.

L. ANNAEVS.

Inscriptionis hujusce literæ, quæ Lucii Annæi recenset nomen, ibidem in perpolito et magno insculptæ Mar-

Digitized by Google

Marmore, sunt magnitudinis trium unciarum cum dimidio. *Annæum Martium* Marmora antiqua commemorant. Lucius Annæus noster forsan erat ejusdem Familiæ surculus.

III.

O. ISAVRICo

Interpretare, si placet, sigla O. *Ogulnio*. Isauria regio est Asiæ minoris, proxima Ciliciæ ad Taurum montem, quam Publius Servilius cognomento Isauricus subegit, et multas piratarum munitiones, quæ in ora maritima erant, vi cepit. Hæc Strabo lib. 12., qui se Servilium vidisse scribit. Fuisse autem traditur fortunæ adeo tenuis, ut publico funere sit elatus. Ogulnius Isaurius est dictus vel quia hæres meriti Publii Servilii, vel ex eo quod in Romano Exercitu præclara in Isauria ediderit bellica facinora.

IV.

ANNOR
CVRTIA

Frag-

Digitized by Google

Fragmentum inferius Marmoris sepulcralis fuisse videtur. Nomen, et anni vitæ desunt numerice. Unum quod certi superest, Curtiæ cognomen est.

V.

L APROI .... PATRO ....

Fasti Consulares anno Christi 39. una cum Cajo Cæsare Caligula Consulem recensent etiam Lucium Apronium, cujus memoriæ veluti *Patrono* Marmor hocce sacraverat quispiam ex servis libertate ab Apronio donatis.

VI.

D. M. S.
APRILLAE
.....

Marmoris fragmenta reperta sunt penes Domum Dragobratovichiorum in Slivno Naronæ. Nomen *Aprillæ* defunctæ habes, Lector; non sic ejus qui monumentum posuerat.

Digitized by Google

VII.

OLYBIVS. AMEN.
L. L. IIIIĪ.VIR.

Lege *Olybrius Hermogenianus*. Inscriptio Quadratarii vitio corrupta. L. L. *Legatus Legionis Sevir*. Duos Olybrios in Fastis Consularibus reperies, atque utrosque Consules; Alterum anno Christi 379. una cum Decio Magno Ausonio Poeta, alterum anno 464. simul cum Flavio Rustico: neuter horum est Olybrius noster, satis clarus alioquin Legatione Legionis, et Seviratu.

VIII.

.·.·.O. IIIIIVIR
·.·S. ACCEPTVS. F
·.·.·. PATRI
·.·.·V. F. ET. SIBI. ET
·.·IS.

Idem *Olybrius Sevir Acceptus Filius Patri Vivens Fecit, et sibi, et suis* in Viddo Sepulcrum. Sigla S. divinare non ausim cum desint plures literæ, quæ S. antecedebant.

IX.

Digitized by Google

IX.

.....LO. INFANTI
.....ISSIMO. QVI
.....DIE. XX. P. V
.....IIIIIVIR PATER
.....SIBI

LO ultima syllaba cujus sit nominis, ignoro. P. V. lego *Posuit Vivens*. Tum infanti defuncto, tum Patri Seviro nomen abstulit vetustas. Scripsit Plutarchus in Problematis, nomina octavo, et nono die imponi solita esse infantibus apud Romanos. Sextus Pompejus ea de re ita meminit: *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur*. Ergo Infans noster, de quo in hoc fragmento, nomen suum habebat, cum die vigesima mortuus referatur. In Romanis Municipiis mos erat, ad instar Urbis loci rempublicam administrare. Sicut igitur Romæ juri dicundo præerat Senatus Populusque Romanus; ita incolæ aliarum Civitatum partiebantur in Decuriones, et in plebem. Decuriones Senatum, populum plebs repræsentabat. Ex Decurionum numero quotannis communi omnium suffragio eligeban-

Digitized by Google

tur IIViri, IVViri, aut IIIIꟾ Viri, qui pro majori, vel minori Municipii, seu Coloniæ amplitudine, jus dicebant populo. Seviri ergo Naronam olim regebant, prout ex hisce Inscriptionum fragmentis liquido apparet. Seviros nullibi forte in Dalmatia reperies, quam Naronæ, et Salonæ, ut in Marmoribus Salonitanis editis ab Clariss. Francisco-Antonio Zacharia est videre. Certe Romani, post captam Salonam, Provinciam Illyricam in duos Conventus partiti sunt, Naronianum nempe, et Salonianum; Naronianus, Varronis ætate, qui anno ante Christum 60. florebat, erat celeberrimus, multoque frequentissimus; nam idem Varro apud Plinium LXXXIX. *Civitates eo ventitasse*, auctor est. Nil mirum ergo, si Seviri tunc temporis Naronianam rempublicam administrabant. Ait Panvinius lib. 2. cap. 86. sic ; *In Coloniis etiam supremus Magistratus erat, qui jus dicebat, ex ordine Decurionum lectus. Hi erant II. Viri Juri dicundo in parvis Coloniis, IIII. Viri in majoribus, qui Consulum locum obtinerent. Veronæ ut in aliis Coloniis Transpadanis IIII. Viros fuisse*..... En etiam Veronense Marmor relatum in *Museo Moscardo* pag. 75.

Digitized by Google

L. DOMITIVS
DIVN. . . . . .
IIIIVIR

Itaque Naroniana Civitas Verona profecto major erat, cum illius Magistratus Seviris, Veronæ autem IIIIViris constabat : æquabat vero Forum Julii, Opitergium, et Aquilejam; nam has quoque Civitates Seviros olim habuisse Juri dicundo saxa docent.

Ad K. usque sæculum Naroniensium, seu Narentanorum Rempublicam floruisse comperimus ex monumento, quod Clariss. Farlatus exhibet in suo Illyrico Sacro tom. 1. fol. 482., quodque piam quamdam Narentanorum consuetudinem recenset, quotannis nempe suos per Legatos Sepulcrum S. Domnii Spalatensis invisendi, ac Senatus, Populique Narentani nomine non contemnenda munera eidem Sanctissimo Præsuli humiliter offerendi. Atque ex hucusque adductis nemo sanæ mentis non intelliget, quanta olim fuerit, quamque præclara Naronianæ urbis dignitas, et amplitudo. Quantum debent Naroniani hodierni, quantum cæteri eruditi Viri vel ipsissimis Marmorum fragmentis hisce nostris, ex quibus nobilitas et magnitudo Naroniani Romanorum Municipii nunc primum innotescit!

Digitized by Google

X.

FONTINA

Unum quidem verbum, sed historica plurima supellex. Marmor etiam parvum, at literæ in eo insculptæ palmaris magnitudinis. Anno 1792. dum Macarensem hanc montanam lustrabam Diœcesim, ruricolæ cujusdam in Naroniano *Metcovich* dicto oppido commemorantis domum ingressurus, pedemque super limen positurus, conspexi hoc idem Marmor hisce exornatum literis, ac liminis loco jacens. Quæsivi illud a domino domus, facilique negotio obtinui. Pretiosa in eo memoria Fontinæ gentis patriciæ Æterniæ, alias Ateriæ consularis, cujus cognomen Fontinalis. Fontina Tribus Romana erat, atque ab ea Fontinalia sacra instituta. Ipsa Clarissimo Grævio prorsus ignota nostris nunc studiis primum fit manifesta. In pervetusto Kalendario Romano Amiterni effosso, mensibus Octobr. et Novembr. de Fontinalibus est sermo. *October. Fontinalia,* scilicet a fonte, inquit Varro l. 5. lib. 5. de Lingua Lat., *quod is dies feriæ ejus: ab eo autem tum et in fonte coronas jaciunt, et puteos coronant.* Cur hoc? ob frigidam aquam in æstate præbitam. *November. Hic Fontinalia agebantur,*

ob

Digitized by Google

ob aquam novam pluvia ventam. Quam utilia, quamque præclara istiusmodi Marmorum studia!

Pro Opellæ hujus nostræ Coronide libens volensque duo grandiora Marmora antiquissima scripto referam, cum nequeam pictura. Effossa in *Lovorje* Naroniensi jam ab annis 20., septem numero feminas pulcherrime insculptas, chorosque ducentes repræsentabant, altitudinis pedem et semis per singulas. Ut primum Marmora eruderata sunt, capita, manusque incolæ Naroniani confregerunt, plumbi auferendi gratia, quo manus et capita in Marmoribus obfirmata apparebant. Mutilum utrumque Marmor ad nos delatum, sæpiusque a nobis longissimis disquisitionibus discussum spem quidem omnem ademerat percipiendi atque eruditis exponendi, quibus feminarum, historicisne, an fabulosis figuris exornaretur. Cum ecce, dum Rhacusæ apud Patres Scholarum Piarum dulcem illam quidem suavemque cum tantis Viris moram paulo ante trahebamus, non semel Clarissimi Gronovii Opera revolventes, invenimus easdem omnino imagines pereleganti cupro impressas, quas Marmora nostra a barbaris male habita incognitas reddiderant. Tres itaque Nymphas Nymphæi Apolloniatarum tunc nobis licuit tom. 1. Antiquitatum Gronovii plusquam libenter inspicere. Personarum species, indumentorumque forma congruit penitus cum nostris, nisi

quod

quod his pectus velo admodum subtili coopertum, illarum vero penitus denudatum apparet. Ex manuum pedumque motu et supplosione tum nostræ, tum Apolloniates choreas agere spectantur. Olim Nympharum Chori dicebantur mulierum cœtus illi, quibus Dianam colebant apud Cyzicenos potissimum, uti ex Æliano Suidas tradit, teste Poleno tom. 2. in Supplem. ad Romanas et Græcas Antiq. pag. 1028. Quinimo ab Callimaco versu 242. Dianæ Nymphæ comites in Hymn. in Dian. dicuntur in deæ honorem, in orbem choream agentes; de quibus olim canebat Apollonius lib. 1. v. 1223.

Instaurabantur Nympharum Chori. Nam omnibus ipsis
curæ erat
Nymphis, quæcumque amœnum accolebant fluentum,
Dianam ut nocturnis cantibus assidue celebrarent.

Quod vero a Virginibus ac Matronis sæpe agerentur Chori in dearum festis, præcipue autem Dianæ, testatur Horatius Carm. l. 1. Od. 21. vers. 1. sic:

Dianam teneræ dicite Virgines:
Intonsum pueri dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.

Una

Digitized by Google

Una in Marmoribus nostris cæteris altior corpore, Chorique Nympharum ductrix, Nymphidia, seu *Sacerdos Summa*, vocari forsan potest ex sui officii munere. Nymphæum in *Lovorje Naroniano* hodierno olim extitisse putandum est, ubi reperta sunt hæc nostra Marmora duo. Certe quidem apud Romanos Nymphæa extitisse Vir ingenio et doctrina præstans Valesius ad Ammiani lib. XV. testatur, erantque loca publica Nymphis sacra, in quibus extabant aquæ salientes, et fontes manu facti ad aquas ex Silanis prosilientes, magis ad voluptatem, quam ad usum, marmoreis pavimentis, columnis, et variis rebus ornata, quæ pascebant oculos. Dicta erant Nymphæa sive a *lymphis*, quas emittebant, sive a Nympharum statuis, quibus ornabantur. Aqua proximi Naroniani fluminis, loci amœnitas, et multa alia ornamenta, quæ in *Lovorje* eruderantur, ostendunt Nymphæum perelegans ibidem extitisse. Quindecim numero Nymphæa Romæ quondam extabant, ut est in *Notitia Dignitatum Imperii Occidentis* apud Grævium tom. 7. pag. 1784. Unum Gordianum Romæ plura extruxisse Nymphæa accepimus ex Capitolino: *Opera*, ait, *Gordiani Romæ nulla extant præter quædam Nymphæa, et balneas.* Unum ad minus Nymphæum etiam apud præclaros Romanorum antiquorum Municipes Naronianos perstitisse in *Lovorje* quis unquam in dubium revocare audebit post ho-

Digitized by Google

horum Marmorum duorum effossionem, præsertim etiam cum Nymphas pro ipsis montium, silvarum, aquarumque deabus Veteres acceperint atque coluerint, quibus omnibus Naroniana regio abundat? Nymphas pariter Oceani filias, fluviorumque matres multi non immerito existimant. Orpheus autem sic de Nymphis Latine sonantia verba tradit:

Nutrices Bacchi, quibus est occulta domusque
Fructiferæ, et lætæ pratorum floribus estis:
Pascitis et pecudes, et opem mortalibus ipsæ
Cum Cerere, et Baccho vitam portatis alumnæ.

E quibus verbis, et Bacchi, idest uvarum nutrices Nymphas, fructuum, pecudum, frugumque, et florum habitas fuisse, ac mortalibus ipsis opem eas maxime ferre, colligimus.

Digitized by Google

SERIES

Marmorum Fragmentorumque quæ extant etiamnum in hujus Opellæ Auctoris parva domo.

Ex Marmoribus Votivis.

N.° I. XV. XX. XXI.

Ex Marmoribus Affectuum Miscellaneis.

N.° II. III. IV. V. VII. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XIX. XX. XXI. XXII.

Ex Marmoribus Inscriptionum Publicarum.

N.° I.

Ex Marmorum Fragmentis.

N.° I. VI. VIII. IX. X.

Ex Marmoribus Anaglypho opere.

N.° 2. *Marmora Nymphæi Naroniani.*

1. *Marmor Salonitanum cum Castore et Polluce.*

1. *Mercurius, de quo sub n.° VII. Marmor. Votiv.*

Digitized by Google

Munus Paulovichii qui nepos auctoris et alumnus Bruinan
huj. — 24. Jun. 1812.

Digitized by Google

Se più fiate d' ira il cor m' accese
O bianco velo, già la tua durezza;
Or colmo di diletto, e di dolcezza
Ti ringrazio, ed oblio tutte l' offese.
Poſciachè sì pietoſo, e sì corteſe
Scopriſti agli occhi miei l' alta bellezza,
E 'l caro viſo, ov' ogni ſua ricchezza
Moſtrar unitamente il Ciel inteſe.
O benedetta man, ch' allor s' aprio
Sì dolcemente! e tu benigna e pia
Nel mio maggior biſogno aura gentile!
Per te aggiunſe al ſuo oggetto il deſir mio,
E mi ſi moſtrò quel, che ſcorto pria
Ogni altra viſta ebbi poi ſempre a vile.

Almo Leon, che d' or l' altera fronte
Ai cinta intorno; ed allor che più preme
L' irato Adria, l' acqueti, e torni in pace;
Ecco, che vinto, ed abbattuto giace
Il Serpente crudel, che danni ed onte
Spirando a tutti dalle parti eſtreme
Oriental sì incontra di te moſſe.
Ed or gli ai ſvelte, e ſcoſſe
Le ſuperbe ale, e l' ardor ſpento inſieme
Col magnanimo Eroe; cui l' alto Ibero,
Moſſo a pietà di noſtri indegni pianti
Di lontan manda; tal, che d' or avanti
Quel non ci turba col ſuo aſſalto fiero.

IN LODE DELL' AUTORE

SONETTO

DELL' INCERTO.

O leggo il tuo parlar libero, e ſciolto,
O 'l piè legato a leggi in breve giro,
Monaldi, emulo il tutto, il tutto ammiro;
Mentre o ſemplice voce, o canto aſcolto.
E dico: o molto fortunata, e molto
Più della Tracia aſſai, più dell' Epiro
Famoſa Illiria! Ove giammai fiorirò
Spirti vivaci più, ſermon più colto?
Io non sò già, qual tomba al morto Zio
Il buon Nipote alzò: sò ben che tromba
Son le ſue carte a lui ſonora, e grande.
Nè può, ſe non quanto ei ripoſa in Dio
Più gioir d' altro. In queſte ecco rimbomba
La fama, e 'l ſuon rinforza, e 'l volo ſpande.

Digitized by Google
Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google